AESTHETICORVM
PARS ALTERA.

SCRIPSIT

ALEXANDER GOTTLIEB
BAVMGARTEN
PROFESSOR PHILOSOPHIAE.

FRANCOFVRTI CIS VIADRVM,
IMPENSIS IOANNIS CHRISTIANI KLEYB,
cIↄcIccLVIII.

PRAEFATIO.

Fidem, quam edens partem aeſtheticorum primam praefando dederam, liberaturus non ita multo poſt hanc publici iuris factam horis ſubceſiuis accedebam ad telam, quam exorſus fueram,

quamque praemissa tunc synopsis breuiter indicat, curatius pertexendam. Praeeuntem scribendo non lentus sequebatur typographus, et cito satis eo vsque perueneramus, vt absolueretur, quod nunc legentibus offerendum est, quum me morbus in lectum deiiceret adeo grauis, adeo pertinax, vt saepe non mihi solum, et meis, sed ipsis etiam peritissimis medicis conclamatus viderer. Satis diu, reor, interruptum pependit opusculum, et penderet adhuc, si iudicarem aequum resistere bibliopolae, qui moram hucusque patienter tulit, et nunc, quae iam impressa habet, ulterius premere hoc minus persuaderi potest, quum nondum ea sit ratio meae valetudinis, quae vires libris eiusmodi scribendis idoneas magis, quam mortem, polliceatur. Non sum nescius

ſcius odioſos auctores eſſe plerumque de rebus ſuis narrantes, quae populus curet ſcilicet. Rationes equidem tribus tantum verbis reddere volui, cur ne certitudinis quidem aeſtheticae prorſus exhauſta materia, vitam venuſtae cognitionis dulciſſimam pulcritudinem, methodum lucidam, et elegantem illam ſemioticam, quae pulcris in orationibns eloquutio dici ſolet et actio, non tetigerim, nec ad partem practicam aeſtheticorum pedem proferendi ſpes ſit, quam aliquando ſecundam dixi, quaeque iam informaueram ſingula dictatis acroaſeos, quae meditationibus his propiorem occaſionem ſuppeditauerat. Si quis tamen ſuperes, amice lector, qui me curas, qui me noſti, qui me amas denique, diſce fortunam ex aliis, ex me, qui iam octauum in annum per amba-

ges aegritudinum circumerro, quae videantur inextricabiles, quam neceſſarium ſit, maturius bene cogitandis optimis aſſuefieri. Quid enim agerem, vti nunc ſum, pro virili hoc agere neſcius, profecto, neſcio. Dabam Traiecti cis Viadrum, a. d. II. Kal. April. cIↃcIↃCCLVIII.

SYNOPSIS.

AESTHE-

AESTHETICORVM GENERALIVM.

CAPVT I. HEVRISTICA.

SECTIO XXXVII. LVX AESTHETICA.

§. 614.

Verioris in cogitando §. 18. pulcritudinis §. 17. elegantiarumque ſtudioſus quarto loco §. 115, 177, 423. LVCEM, claritatem, et perſpicuitatem cogitatorum omnium ſectetur, M. §. 531. ſed AESTHETICAM, quae vel analogo rationis ad diſcrimina rei percipienda ſufficiat. §. 22. M. §. 531. Perſpicuitatem, vt vnam ex primis virtutibus eloquentiae luculenter commendans Quintilianus VIII. 2. rectiſſime diſtinguit *perſpicuitatem in verbis*, quae non eſt huius loci, §. 13. et *rerum perſpicuitatem*, qua obiecta venuſtae

nuſtae meditationis ſint *dilucida et negligenter quoque audientibus* attendentibus *aperta.*

§. 615.

Heic ſi *negligenter* attendentem *audientemue* placeat et eum dicere, qui non intendat percipiendis rebus, quae tractantur, intellectus rationisque ſuae vires et neruos, vt ita dicam, rigidius: eo lubens in Quintiliani ſententiam. Eam vero mentem optimo fuiſſe rhetori paene mihi perſuaſerim, quoniam cauſſam aſſerti ſubiungit, non ſemper eſſe *tam acrem iudicis* (ſpectatoris, lectoris, auditoris) *intenſionem, vt obſcuritatem apud ſe ipſe diſcutiat, et tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae ſuae lumen.* Sin eum modo *negligenter audientem* attendentemue vocare placeat, qui *multis cogitationibus auocatus*, et diſtractus omnino, vel animo volutans ab iis, quae tu cogites, diuerſiſſima, vel ebrius oſcitans et ſomno ſit proximus, breuiter, qui nec analogon rationis aduertere tuis cogitationibus velit aut poſſit: huic etiamſi quaedam a te venuſtius cogitanda minus aperta ſint, ea tamen pulcra luce propterea deſtitui nondum vniuerſim concеſſerim.

§. 616.

Tam clara, quae meditamur ad elegantiae regulas, omnia eſſe debere, *vt in animum* audientis *oratio, vt ſol in oculos, etiamſi in eam*

non

non intendatur, *incurrat*, non ſine ratione negauerim, §. 615. Sit cauſſarum patrono *curandum non*, *vt intelligere poſſit* iudex, *ſed ne omnino poſſit non intelligere.* Non omnis venuſte cogitaturus eſt patronus cauſſae, nec omnis, quem ille, ceu praecipuum ſuum obiectum perſonale, recte conſiderat, iudex eſt eiusmodi, quales eſſe ſolebant romanorum pedanei.

§. 617.

LVCEM et perſpicuitatem AESTHETICAM ipſa veritas iubet diſtinguere in ABSOLVTAM, omni pulcre cogitando neceſſariam, §. 614. et COMPARATIVAM, eum abſolutae gradum, qui non, niſi quibusdam venuſtius meditandis, affundendus eſt, cuius exemplum §. 616. vidimus. Claritatis intenſio per diſtinctionem, adaequationem, profunditatem, intelligentiaeque veluti puritatem, M. §. 637. prorſus non eſt lux aeſthetica, §. 614. hinc nec abſoluta, nec comparatiua, ſed logica. Hinc nec intenditur directo, tanquam finis primarius, a pulcre cogitaturo, §. 14. licet et prodeſſe non nunquam eidem inter venuſte cogitandum poſſit, ſi eam de themate ſuam fecerit, §. 551. et per indirectum, quando partes thematis non ita paucae ſenſitiua in luce refulgent, obtineatur ſimul totius conceptus extenſiue diſtinctus, M. §. 634. intellectui pulcro, M. §. 637.

§. 618.

Omnis itaque lux aesthetica, quam in rebus intendas directo, perspicuitas rerum erit sensitiua, claritatis per multitudinem notarum extensio, §. 617. etiam absoluta, comparatiua vero viuidarum cogitationum et materiae nitor ac splendor. M. §. 531. *Neroni* Tacitus Ann. XIII. 3. *puerilibus statim annis coelanti, pingenti, cantus aut regimen equorum exercenti, et aliquando carmina pangenti*, (quae farrago variarum occupationum!) *viuidum animum* tribuit. *Spurinnae* Plinius ep. III. 1. inde putat *agile corpus* esse *et viuidum*, quod non solum, *quoad honestum fuit, obierat officia, gesserat magistratus, prouincias rexerat, multoque labore meruerat otium*, sed etiam *senex ambulabat mane millia passuum tria, nec minus animum, quam corpus, exercebat, mox vehiculum adscendebat*, e. c. Vbi mira denuo motuum variatio, quotidianaeque viuendi rationis vicissitudo.

§. 619.

Hinc iure mihi meo videor eas demum cogitationes dicere posse viuidas, in quibus peculiaris quaedam varietas, et subita veluti notarum se mutuo prementium celeritas deprehenditur, ex quarum eminenti diffusione nitor et splendor ille meditationis exsurgat in parte, cuius totum esse tamen debet perspicuum et absolute clarum: Sic Quintilianus

nus IIII. 1. licet ipſum exordium recte poſcat *dilucidum*, §. 617. tamen *magis conciliatis animis et iam calentibus*, *certos locos* tantum admittit, *quorum naturalis vbertas licentias* aliquas *notari circumfuſo nitore non patiatur*. Quemadmodum hic naturalem vbertatem nitoris quaſi matrem veneratur: ita Cicero de claris or. 36. *Hyperidi*, *Aeſchini*, e. c. *hanc copiam*, *ſuccum illum et ſanguinem incorruptum* tribuit, *in quo naturalis fuerit*, *non fucatus nitor*. §. 104, 115.

§. 620.

Nitida viuiditas venuſtae meditationis ne confundatur cum eius ardore ac vita, §. 22. de qua deinceps curatius. Recte pulcreque coniunguntur, quoties fieri poteſt, vt cogitationes non ſplendeant ſolum, ſed et ardeant. §. 142, 143. cf. Quint. VIII. 3. Natura tamen ſua disiunctae ſunt in cogitando veneres, per accuratam harum theoriam ſeparatim expendendae. Deprehenditur etiam vna non raro ſine altera. Hac ratione Cicero de legibus l. 6. *Antipatrum* narrat *inflaſſe paullo vehementius*, ac eius anteceſſores, et *habuiſſe illum vires agreſtes quidem atque* horridas, (vi mouendi vitaque non deſtitutum) *ſine nitore tamen et palaeſtra*. §. 619, 256.

§. 621.

Idem Cicero de finibus IIII. 5. Catoni

forſan non obiecturus Stoicam huius politicorum theoriam eum non tantundem mouere et ad bene merendum de republica compellere, ac ſe ſuam academicam, libere tamen Catoni obiicit Stoica *de politicis definire partirique ſqualidius*, dum *academicorum* de iisdem *niteat oratio*, quoniam *multa de republica ſcripſerint*, *multa de legibus*, *multa non ſolum praecepta in artibus*, *ſed etiam exempla in orationibus reliquerint bene dicendi*. Ex quo loco mihi nunc ſufficit nitoris veram notionem eruere, Ciceronis autem obiectionem meam non facio, §. 251, 252. Noſtrum iam ad finem conferamus tandem eundem de claris or. 238. vbi *valde nitentem et plane horridam orationem*, vt aduerſa fronte pugnantes deſcribit.

§. 622.

Iam bis naturalem, non fucatum, requiri nitorem vidimus §. 619. Neque magis neceſſarium eſſe videatur monitum de quaquam ex primariis cogitationum elegantiis, ac de hoc venuſtae meditationis nitore, §. 22. Quoniam in nulla facilius a recta naturae imitatione deflectitur. *Atque etiam*, *qui ſpecie capiuntur*, *vulſis*, *leuatisque*, *et inuſtas comas acu comantibus*, *et non ſuo colore nitidis*, *plus eſſe formae putant*, *quam poſſit tribuere incorrupta natura*, *vt pulcritudo corporis venire videatur ex malis moribus*. Quint. II. 5. Erit autem natu-

naturalis in cogitando nitor, 1) cui capiendo naturales animi dotes, non diſtortae cum violentia, non intenſae vehementius ſufficiant, vt profluens *ſecundum naturam* meditatio *nihil ex ingenio habere videatur*, §. 104.

§. 623.

Naturalis in cogitando nitor erit 2) materiis, et rebus, de quibus cogites, ſic aptus, accommodatus, et quaſi proprius, vt ex iisdem earumque cogitatione neceſſario potius enaſci, quam in eandem inferri illinique decoris cauſſa deprehendatur. Huius hinc amicus elegantiae, ſi qua *tractata* per internas ac innatas opes *poſſe niteſcere deſperat*, *relinquit* ea potius, quam vt peregrinis pigmentis cogat ſplendeſcere, 3) eorum, quorum potiſſimum cauſſa cogitas, naturali captui, horizonti, ingenio, genio, indoli, ipſis, vt ita dicam, oculis adeo proportionatus, vt ab his ſine fatigatione poſſit imbibi, nec eos praeſtringens, lumine tamen ſatians, colluſtrans amabiliter, non vrens incommode. Tertium hoc naturalis nitoris requiſitum non ſatis attendentes, eundem vbique negant deprehendi, quando cogitata e. g. legunt ſuae naturae, cogitandi ſentiendique rationi, genio, principalibus ſtudiis minus conſentanea, quamuis largiri debeant eos ſe non eſſe, quos praeſertim auctor vel docere, vel de-

lectare secum decreuerat. §. 104. cf. Cic. de or. I. 81.

§. 624.

In picturis alios horrida, inculta, abdita et opaca, contra alios nitida, laeta, collustrata delectat. Quid est, quo praescriptum aliquod aut formulam exprimas, quum in suo quodque genere praestet, et genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus, existimauique in omnibus rebus esse aliquid optimum, (pulcerrimum) *etiamsi lateret,* (multos) *idque ab eo posse, qui eius rei gnarus esset, indicari.* Cic. orator. 36. Si quos in aestheticis absoluta pulcritudinis luce destituta, §. 617. absolute horrida, inculta, abdita et opaca delectant, falluntur illi, nubemque pro Junone, per me licet, amplectantur. Verum in omni venustate generatim, sicut in pictura, modo sint omnia luce, quam absolutam diximus, conspicua, non omnia, sed quaedam tantum, comparatiue lucida

Ore floridulo nitent,
Alba parthenice velut,
Luteumue papauer, Cat.

quaedam sunt vere, sunt belle perspicua, quanquam, cum nitidis illis et admodum collustratis vbi comparentur, appareant opaca, quaeque primo obtutu iudicentur horrida, §. 621. Eleganter, non omnia, sed

plura nitent in carmine. Hor.

§. 625.

§. 625.

GENVS COGITANDI luce abſoluta aeſthetica non deſtitutum ſi dicamus SIMPLICITER DILVCIDVM et perſpicuum (ſenſitiue) §.617. ſicuti comparatiua etiam luce fulgens NITIDVM et ſplendidum: praeeuntem ſequimur Quintilianum VIII. 3. quando: *Emendate quidem*, ait, *et dilucide* §. 619. *dicentium tenue praemium eſt, magisque vitiis carere eſt, quam vt aliquam magnam virtutem adeptus eſſe videaris. - - - Non aſſequutus eſſet Cicero docendo tantum iudicem, et vtiliter demum, ac latine perſpicueque docendo*, quod eum aſſequutum eſſe *nitore fulgentium armorum*, §. 282. vidimus. *Sed hic ornatus, (licet enim repetere,* §. 622.*) virilis, fortis, ac ſanctus ſit, nec effoeminatam leuitatem, nec fuco eminentem colorem amet, ſanguine et viribus niteat.* §.619. *Hoc autem adeo verum eſt, vt, cum in hac maxima parte ſint vicina virtutibus vitia*, §. 622. *etiam qui vitiis vtuntur, virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat me inimicum eſſe culte dicentibus. Non nego hanc eſſe virtutem. Sed illis eam non tribuo.*

§. 626.

Naturalis ſplendoris ſimiam, fucum in exemplis ridet Horatius. A. P. 25.

Inceptis grauibus plerumque et magna profeſſis,
Purpureus, late qui ſplendeat, vnus et alter

Assuitur pannus, quum lucus et ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus.

Habes ciconiam in maleferiatos eiusmodi pictores, qui materiam sibi legunt satis bellam et de qua speres singulariter non pulcra solum, sed etiam nouitate praeclara, de qua promittat auctor ipse spe tua paene maiora, quando autem deuenitur ad rem, caecum imitatorum pecus nescit aliquid noui, quod rerum natura, de quibus agitur, pronissime suppeditaret, in plena luce sistere, nescit collustrare, quae praecipuum splendorem requirerent, sed, vnitate neglecta, detorquet attentionem in diuersam omnino, vel minus connexam rem aliam, ideo tantum illatam in male cohaerens opus, vt ea, iam vero in nitore picta ab ingeniis vere pulcris, nunc denuo pingatur, si diis placet, nitidius, vere per obscurum et asiaticum, nescio quem, apparatum. §. 325, 623.

Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis, et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat vmbras,
Aeacus, vnde alius furtiuae deuehat aurum

Pohi-

Pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani, conuulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptae lectore columnae.
Exspectes eadem a summo minimoque poeta.
Iuu. I, 8.

§. 627.

Alii pictores ex minimis, de quibus Iuuenalis, decipiuntur audacibus quorundam magnorum ingeniorum dictis, quale ad §. 125. notauimus, quale Ciceronis est in prooemio paradoxorum; *Nihil est tam horridum,* §. 621. *tam incultum, quod non splendescat oratione et tanquam excolatur.* Nec enim sentiunt primarios eiusmodi viros, *fretos* suis viribus, si penitius asserta perspiciamus, *falsum constituisse* de venusti in cogitando hominis *officio, et non quid ars, sed quid ipsi* forte *possent, exposuisse.* Hinc pulcelli, de quibus loquimur, micrologi, §. 356. se plerumque putantes aliquid egregii, colligunt suum esse nunc illorum implere vaticinia et audere, nisi Minerua, Fortuna tamen iuuante, quae fieri posse Cicero quidam interdum dormitans effatus est. Quaerunt itaque materias, quas excogitare possunt natura sua minimum splendoris admissuras, easque, vel inuitis diis omnibus, tot peregrinis flosculis, tot ornamentis amiciunt, vt potissimis suorum spectatorum sistant quidem thema non dissimile

mile plumis alienis apud Aesopum ſuperbientis corniculae, ſemper tamen eo melius ſe cogitaſſe gaudeant in ſinu, quo minus hi ipſi ſpectatores ex propoſita ſibi tabula naturalis voluptatis, ſi vel artis ignari forent, haurire ſe potuiſſe fateantur. §. 623, 119-121.

§. 628.

Neque ſolus Heliconis pygmaeus natura talis adſcititium belle cogitandis fucum a ſplendore vere naturali vix ac ne vix quidem diſcernet: §. 359. mediocribus etiam ingeniis idem erit difficillimum, quando praua per adoleſcentiam contracta conſuetudo naturam vere elegantem ſimulabit, §. 622. et temporum iniuriae, locorumque, quibus vixerint, barbaries intimam pulcerrimarum rerum naturam obtegens haerere ſemper in cortice coget, iisdemque fatis deprauatum apud aequales iudicium ſolas fucatas veneres, vt ipſius naturae filias, venerari conſueuerit, §. 622. 623. Interim felicius in aeſtheticis ingenium, S. II-VII. veluti Caeſar apud Ciceronem de claris or. 261. *rationem adhibens*, §. 38. *conſuetudinem vitioſam et corruptam pura et incorrupta conſuetudine emendat*, *quum* ad dilucidam vbique cogitationum elegantiam §. 625. *adiungit ornamenta* quaedam ſingularia, *tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine ac ſplendidam quandam, minimeque veteratoriam*, *rationem* cogitandi *tenet*.

§. 629.

§. 629.

Cogitationum nitor ac ſplendor quoniam eſt ſpecies, immo gradus quidam, perſpicuitatis ſenſitiuae, genus cogitandi logicodogmaticum aeque bene caret eodem, ac aeſtheticodogmaticum intenſioribus perſpicuitatis intellectualis gradibus, §. 617, 567. Quo magis erit illud genus cogitandi formaliter philoſophicum, ſcientificum, et rationi ſolidiori, puriori intellectui, peruium ac perſpicuum, hoc minus nitoris habebit et perſpicuitatis etiam analogo rationis pellucidae. §. 578. Quo plus genus cogitandi dogmaticum viuidi ſplendoris habet, hoc minus ad logica, hoc magis ad aeſthetica referendum eſt. §. 568. Hinc contra quosdam recentiorum miſcelliones librorum ſuorum philoſophicorum genus cogitandi Cicero iudicat ipſe aeſtheticodogmaticum, dum de fin. I. 6. *Qui habent*, inquit, *vt graeca anteponant iis*, (ſcriptis meis de philoſophia) *quae et ſplendide dicta ſint, neque ſint conuerſa de graecis?* Apertius adhuc mentem exponit in prooemio parad. vbi: *Deguſtabis*, ait, *genus hoc exercitationum mearum, quibus vti conſueui, quum ea, quae in ſcholis dicuntur θετικα, ad noſtrum hoc oratorium transfero dicendi genus*. §. 569.

§. 630.

Equidem cum Cicerone off. I. 6. *exiſtimo*, *Demo-*

Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronunciare voluisset, ornate splendideque facere potuisse. §. 567. Si vero fecisset ornate, si fecisset splendide, si se in philosophico disputandi genere praestitisset Demosthenem: tunc ex mea sententia non tam rationem et intellectum, qua potest fieri, cum evidentia instructurus, quam analogon rationis ingenti persuasionis lumine collustraturus fuisset. §. 629, 568.

* *

SECTIO XXXVIII.

OBSCVRITAS AESTHETICA.

§. 631.

Defectus et oppositum lucis ac claritatis quum sit *obscuritas*, lux autem et claritas vel sensitiua, vel intellectualis, S. XXXVII. rectissime iam veteres obscuritatem κατ᾽ αισθησιν ab obscuritate κατα νοησιν distinxerunt. Res et cogitatio, quae sensitiue percipienda non satis claritatis, extensiuae scilicet, aestheticaeque lucis habet, est obscura κατ᾽ αισθησιν. Hinc distinctiora, puriora, profundiora quaeuis per scientias, quoniam ea non assequitur analogon rationis, per hoc solum si quis velit considerare, non queretur ea solum obscura, sed etiam sentiet, vti sunt κατ᾽ αισθησιν.

§. 632.

§. 632.

Res et cogitatio, quae per intellectum et rationem concipienda non tantum claritatis, intensiuae scilicet, distinctionis, puritatis, ac profunditatis habet, quantum ad distinguendum ex notis claris et rationibus probe perspectis, vel enucleatius pronunciandum, vel complete demonstrandum requiritur, est obscura κατα νοησιν. Hinc si quis bene multa non solum aesthetice dilucida, sed etiam pulcro nitore splendida, sicut eadem propinantur soli rationis analogo, distinctius tamen concipere, ratione rimari profundius laborauerit, ea saepe numero non queretur solum obscura, sed etiam sentiet, vti sunt κατα νοησιν.

§. 633.

Perspicuitatis ac lucis vti primaria laus est, ita turpe profecto huic laudabili claritati vere oppositae obscuritatis vituperium. §. 23. Haec etiam vel rerum et cogitationum, vel signorum, vocabulorum ac phrasium est obscuritas. De prima nunc nobis tantum agitur, §. 614. eiusque illa specie, quam olim dixerunt κατ'αισθησιν. §. 631. Sint per meditationem venustam non ita pauca κατα νοησιν obscura, quorum accurata sit repertu difficilis definitio, genesis in fundo lateat, nexus parum euidenter a ratione perspiciatur; non curat hanc obscuritatem ad solas paene puras

scien-

ſcientias relatam ingenium vere pulcrum, §. 632. modo detur effugere OBSCVRITATEM AESTHETICAM, defectum lucis aeſtheticae in ſuis (rebus ac cogitationibus) ad elegantiae leges examinandis. §. 632, 614.

§. 634.

Obſcuritas aeſthetica vel erit defectus lucis in aeſtheticis abſolutae, §. 617. quam CALIGINEM AESTHETICAM dicamus, et meram noctem, vel comparatiuae tantum, nitoris alicuius ac ſplendoris eximii, quae denuo vel naſcetur per exceptionem non inelegantem, §. 25, defectus tantum apparens, VMBRA AESTHETICA, vel erit defectus vere talis et priuatio viuiditatis ad veram pulcritudinem requiſitae, dabitque GENVS COGITANDI PLANE HORRIDVM cum aeſthetica caligine. §. 621. Neque ſolam ipſam noctem horrebit vbique ſedulo pulcre cogitaturus, ſed etiam non minus, ac eos, quorum gratia fiat Ariſtarchus, horridulis quibusdam, dilucidis vtique, §. 625. ſed non ſine macula comparatiue

parum claris, lucem dare coget,

vmbras autem pro formae commodis nunc ſequetur, nunc fugiet, §. 614.

§. 635.

Vmbrarum nomine complectimur omnia illa artificia, naturam imitantia, quibus quaedam

dam inter venuſte cogitandum non in tanta luce conſtituuntur, non tanta cum claritate extenſiua dilatantur, ac fieri poſſet, ab ignaris venuſtae parſimoniae, §. 164. e. g. quando minus connexa themati velut e longinquo tantum oſtenduntur, ſenſim magnitudine, ſicut optice, decreſcentia, quaſi per nebulam. Sic enim per naturam rerum porticus aeque diſtantibus columnis ac aequalibus ſuffulta

Longa, tamen *parte ab ſumma ſi tota videtur,*
Paullatim trahit anguſti faſtigia coni,
Tecta ſolo iungens, atque omnia dextera laeuis
Donec in obſcurum coni contraxit acumen,
Lucr. IIII. 430.

Sic per *obſcurum coeptae lucis* paullatim panditur breuis meridies, quam inter et mediam noctem eſt media *poſt ſolis occaſum obſcura lux.*

§. 636.

Turpem obſcuritatem in pulcre cogitandis procreabit attentionis, quantam ab analogo rationis apud praecipuos tuos ſpectatores exſpectare poſſis, nimia 1) intenſio, quando ſimulas popularem aliquam cogitandi rationem, vere tamen ea concipis, eoque modo cum iisdem communicas, qui iam multum et eruditum intellectus et rationis vſum requirat probe capiendus, quae ſoli rationis

horizonti relinquenda videantur. §. 121, 615, 622. 2) extensio et 3) protensio si tentetur, M. 628. dum satis ad venustos fines iam aperta atque dilucida vel 1) splendore tamen circumfunduntur adhuc nouo, praestringente oculos, §. 633. viuiditate notarumque plurimarum variatione animum distrahente a pulcra totius, thematis et primariarum eius partium, consideratione, §. 629. M. §. 638. vel 2) luxurianti diffusione §. 165. tamdiu illustrantur nouis semper ac nouis commentationibus, donec fatigatus mole rerum ac cogitationum animus fatiscat et silua quadam obruatur potius, quam recreetur. §. 623.

§. 637.

Secundam ac tertiam obscuritatis vitiosae genesin simul tangere videtur Cicero de Inu. II. 156. *Vniuscuiusque*, inquiens, *constitutionis exemplum supponere non grauaremur, nisi illud videremus, quemadmodum res obscurae dicendo fierent apertiores, sic res apertas obscuriores fieri oratione.* Quid enim? Exempla illa alias illustrantia, vel satis breuia fulgentissimis exornasset luminibus, et praestrinxissent hoc loco, vel pluribus diducta longo ordine exposuisset, et fatigassent hic spectatorum oculos. §. 636.

§. 638.

Turpior nascetur obscuritas aesthetica, 4)

ſi vel abſolute et in ſe obſcurum thema, chimaeram aliquam et merum nihil, quod videatur aliquid, eleganter aliquis explanandum ſibi ſumſerit, vel certe rem relatiue non ad ſpectatorum ſolum, ſed et ipſius auctoris captum adeo obſcuram, vt eam nec ſenſibus ac imaginatione, nec intellectus vi conſequatur ipſe, quam tamen aliis pollicetur exponere. Huc *magna* pertinet, *neque ea naturalis*, §. 622, 623. *ſed artificioſa* §. 110. *ſomniorum Antiphontis interpretatio. Eodemque modo et oraculorum et vaticinationum* bene multa mendacia, multaeque verorum etiam *explanationes, in quibus multa obſcura ſunt ac ambigua.* Cic. de diu. I. 116. cf. II. 115.

§. 639.

Duplex eorum genus eſt, qui de bonis rebus et in ſe probe perſpicuis earum omnino ignari, belle tamen, diſſerere fruſtra conantur. Primum eſt ſincerius ac ſimplicius, eoque facilius detegendae turpitudinis, qui ſtolide ſibi perſuadent, rem bene geri, quoties de re, quam norunt cum ignatiſſimis, audacter incipiant, magnis hiatibus, ſigna ſine mente, ſed non ſine flumine, profundere, obſcurum per obſcurius exponere, crepuſcula colluſtrare tenebris, quas intelligere nemo alias poſſit, quoniam ipſi ſua cogitantes non intellexerant. Alterum eſt magis ſubdolum et quaſi veteratorium, quod in ea-

 dem

dem rerum optimarum inſcitia per eandem impudentiam de quibusuis venuſtam ſcilicet meditationem aggreditur, ſed callido ſatis conſilio ſuae mentis caliginem ita tegens, vt ignorantiae ſuae culpam in ipſam materiam et rem, de qua agitur, commode deuoluat, ſuisque ſpectatoribus, quorum aliquos aeque rerum ignaros inuenire non eſt difficile, largiatur non apud ipſos, ſed in rebus cogitandis quaerendam eſſe cauſſam, cur illae nequeant intelligi. Sic enim dum fouet, et excuſat ſuorum naeuos auctor eiusmodi ab his denuo non excuſatus ſolum abibit, ſed etiam ſaepe numero collaudatus, qui ſolus rerum tenebras viderit, quas alii, doctiores qui videri velint, ſoli meridiano comparantes mentiantur. §. 638.

§. 640.

Huius obſcuritatis §. 636, 637. non vnum exemplum nobis offerunt Ciceronis libri de natura deorum, quorum l. III. 94. *Cotta dicendi finem facit: Haec fere*, inquiens, *dicere habui de natura deorum, non vt eam tollerem, ſed vt intelligeretis, quam eſſet obſcura, et quam difficiles explicatus haberet.* Quoniam enim per omnem eorum decurſum euidentiſſimae religionis naturalis quaeſtiones, cum ſuperſtitionibus graecoromanis miſere confunduntur, quarum plerasque Stoici ſub tutelam philoſophiae ſiniſtris auibus receptum ibant, §. 636.

§. 636. quas omnes, sed cum veris verissimae religionis anticipationibus, in sinu certe, ridebant Epicurei: §. 637. Cotta academicus, dum illas impugnat, nunc obscuritatem porticus iure suo salse ridet, quoties hi somniorum interpretamenta crepabant, §. 638. nunc Epicureorum vanas ambages, et impudentem audaciam bene perstringit, quando hi diuinorum satis incurii, deorum tamen quasi carnem et quasi sanguinem, et intermundiorum otia multis exponebant, ne nihil omnino de diis dixisse viderentur, nunc autem et *vehementius inuectus etiam in illam rationem, quae de Prouidentia sanctissime et prouidentissime constituta est*, multa per se obscura callide fingit, quae sunt aperta cuiuis veriorem religionem agnoscenti. §. 639.

§. 641.

Turpioris obscuritatis §. 638. notatae dabunt exempla, nunc alterutro, nunc vtroque morbo, de quo §. 639, laborantes veterum multi chemici, praesertim alchemistae, quibus arcana sunt omnia, praesertim philosophorum lapis, multi recentiorum etiam mystici, quoties vere diuinis non contenti noua sibi ac suis excogitant mysteria, omnis magiam simulans et nocturnum cum daemonibus commercium, si

obscurum verborum ambage nouorum

Ter nouies carmen magico de murmurat ore.
Ou.

§. 642.

Primam obſcuritatis cauſſam aeſtheticae §. 636. cauturus ſolicitus abſtinebit a diſcernendis a ſe inuicem iis omnibus, quae ſingula quidem ſunt dilucida, vel omnino nitida, §. 625. ſalua tamen pulcritudine totius, ad quod pertinent, confunduntur ac miſcentur ab analogo rationis ſaepe numero. Sit in venuſta quapiam pictura *Cnidius* aliquis *Gyges*, ſalua pulcritudine totius

Quem ſi puellarum inſereres choro,
Mire ſagaces falleret hoſpites
Diſcrimen obſcurum, ſolutis
Crinibus ambiguoque vultu: Hor. II. oda V. 21.

Noli tunc proditorem agere, voluptatisque circulos turbare velle, ſuperfluam potius diſtinguendi ſagacitatem vmbris tege commodis. §. 634. M. 645.

§. 643.

Secundam obſcuritatis vel optima deturpantis viam §. 636. temere ingreditur I) de ſuis praecipuis ſpectatoribus melius praeclariusque ſentiens, ac debebat, iisque penetrantius acumen et vberiorem attendendi perſpiciendique vim tribuens, ac vere vel habent,

bent, vel exercent, adeoque, dum tantis ingeniis vix se putat satisfacturum ingenii sui modulo, quicquid est vbique nitoris, constipat et cogit, quantum potest, in vnum, et hac ratione

plerumque modestus
Occupat obscuri speciem.

§. 644.

Eandem in tenebras viam inibit II. de semet ipse, de sua suorumque cogitatorum auctoritate sentiens augustius, ac fas est, et hinc tacite postulans legi, velut aenigmata, relegi sua, quot verbis, tot ponderibus insignia, et haerentem in singulis picturae suae ductibus spectatorem subsistere, neque pedem vlterius, nec oculos proferre, nisi saepius volutatis animo, quae viderat, diuque perpensis, tandem assequutus sit, quid sibi velint. Ob hanc forte caussam *valde obscurus est Heraclitus, minime Democritus.* Apophthegmatibus ille suis σκοτεινε sibi nomen promeritus est, huius composita oratio et ornata, et artificio captum lectoris, §. 643. ac suam auctoritatem metientium, et expolitione distincta Ciceronis, immo lectorum hoc minus philosophicorum, calculum tulit. §. 251.

§. 645.

Subobscurum hoc biuium §. 643, 644. ca-

uebit aesthetica dynamica, §. 60. ita rationes virium et extendendae attentionis apud spectatores suos praecipuos subducens, vt in casu dubii, an hi belle cogitaturum satis assequuturi mentemque eius sint, vt ita dicam, exaequaturi, malit nimis apertus, quam opertus caligine videri, ita eiusdem auctoritatem apud eosdem dimensa, vt in casu dubii, an hi belle cogitantis lectionem decies repetituri sint, nec ne, malit prima lectione statim intelligi, quam vltima, §. 636. Praesertim hos sibi calculos recte commendatissimos habent caussarum *patroni*, à quibus *ius obscurum et ignotum* aliquando *patefaciendum* est *in iudicia atque illustrandum*, §. 615, 616. Negligat has rationes auctoris siue modestia, §. 643. siue fastus et arrogantia, §. 644. conueniet illi cum Horatio queri:

Breuis esse laboro,
Obscurus fio.

Cauenda est, quae nimium omnia corripientes sequitur, obscuritas. Quint. IIII. 2.

§. 646.

Neque tamen cum omni sua latitudine potuit obscuritatis notam omnem effugere Plato, ne fauentem quidem apud iudicem, Ciceronem, quaest. ac. IIII. 123. Tantae molis est rotunda breuitas, §. 166. optimum antidoton contra tertiam obscuritatis vitandae

dae caussam, §. 636. Apud eundem Ciceronem de fin. II. 15. reprehenditur *Epicurus*, qui *nec nolit, si possit, plane et aperte loqui, nec de re obscura, vt physici*, §. 639. *aut artificiosa, vt mathematici, sed de illustri ac facili, etiam in vulgus peruulgata*, voluptate, *loquatur*, neque tamen possit intelligi. Si quid subest obiectionibus veri, quae satis suspectae sunt, dum vera voluptas putatur esse res facilis et in vulgus peruulgata: sane non aliud est Epicuri peccatum aestheticum, quam quod in diducendis suis acroasibus practicis per scripta a quibusuis legenda paullo verbosior, rotundaeque breuitatis negligentior fuit, vnde factum, vt pauci totam voluptatis theoriam ex eodem hauserint, attentione satis protensa, plurimi quandam eius partem, quasi totum, arripuerint, nunc hanc, nunc illam ex plurimis Epicuri scriptis cursim attendendo laciniam. §. 636.

§. 647.

Ad obturandum quartum turpioris obscuritatis fontem, §. 638. 1) ne quid aesthetice falsi, ne febriculosorum somnia, pulcris condecorare cogitationibus somnies, §. 456. Nec enim veri tantum amor, sed etiam perspicuitatis inde studium auocat, quoniam absolute obscuris eiusmodi vera semper deerit lux aesthetica. §. 614. 2) in ipsis fictionibus

mundi poetici nolis vtopiam habitare, §. 514. per quam etiam peregrinanti via eſt,

Quale per incertam lunam, ſub luce maligna,
Eſt iter in ſiluis, vbi caelum condidit vmbra
Iuppiter, ac rebus nox abſtulit atra colorem.
Virg.

§. 648.

3) Ne de quoquam themate ſplendide prius, quam dilucide cogitare mens ſit. §. 619, 625. 4) quae ne dilucide quidem exponere poſſis, ne ſperes vnquam naturali ſplendore colluſtrare, §. 622, 623. fucis autem commaculare nolis, §. 626, 627. 5) ſi quid tibi minus obſcurum κατα νοησιν videatur, ne te iam eo ipſo, dum illud venuſtatis ad regulas cogitaturus es, omnem obſcuritatem aeſtheticam effugiſſe ſtatuas §. 632, 633. 6) ne perſpicuitatem ſingulorum tuorum conceptuum et totius a te ponendi confundens ex illa temere concludas ad hanc, apprime tamen neceſſariam, 7) caliginem ingenii tui ne ſatagas rebus et materiis imputare. §. 639.

§. 649.

Omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, eaque eſt et in ipſis rebus obſcuritas (obiectiua), *et in iudiciis noſtris infirmitas*, (obſcuritas ſubiectiua,) *vt non ſine cauſſa et doctiſſimi et antiquiſſimi inuenire ſe poſſe, quod cuperent,*

rent, *diffisi sint*. Cic. quaest. ac. IIII. 7. Verum in ipsis rebus vbi latet absoluta obscuritas, vt sint in et per se inconceptibiles, illae non tangendae sunt, vltra limites, §. 647. Si qua materia talis esse videatur, vt in se clara et distincta nobis tamen per suam naturam esse ne dilucida quidem possit, multo minus splendescere: de ea non multum disputabo an ipsi rei, an potius infirmitati iudiciorum nostrorum adscribenda sit, qua circumuoluitur, caligo. Vnum hoc vrgeo, ne velut protestatione facto contraria rem ipsam multis dicamus obscuram, idque saepius, neque tamen eandem aptis potius vmbris circumdemus, quam explicare vel etiam illustrare vanas per ambages nequicquam conemur. §. 634, 635.

§. 650.

Obscuritatem aestheticam generatim cauturus non curat ille quidem subtilitates κατ' αισθησιν superuacaneas, eas dispulsuris obscuritatem omnem κατα νοησιν intactas relinquit. §. 631, 632. neque trepidat confundere, quae salua pulcritudine totius vlterius in frustula dissecari non opus est. §. 642: vitat tamen confusum atque PERTVRBATVM COGITANDI GENVS, venustae distinctionis et analyseos nescium. Quam primum enim de toto certae materiae tot partes, tot varia videas animaduertenda per necessita-

tem

tem aestheticam, quot in vnum confusa, simul in eundem spectatoris obtutum congesta, huius oculos praestringerent, et mole sua vim attendendi obruerent, §. 636, 637. *distincta* requiritur argumentorum *acies*, quae intellectui pulcro sistat totum partium successiuo splendore nitentium, §. 428, 618. cf. Quint. IIII. 2.

§. 651.

Hinc longius si permittitur cogitationes protrahere, v. g. plures ad clepsydras, et singularis iure poscitur perspicuitas, vt a caussarum patronis, § 616, 645. rectius intellectus pulcer extensiuae distinctionis luce pascitur per contemplationem totius, dum partibus iam planissime dictis, iam nitore quodam ornatioribus recreatur analogon rationis, §. 617. quam si sequereris *Fusii* cuiusdam ac *Pomponii* meditandi rationem, quos Crassus apud Ciceronem de or. III. 50. *simulac agere coeperint, se* negat *intelligere, nisi admodum attenderit, ita confusam esse, ita perturbatam orationem, nihil vt sit primum, nihil secundum,* §. 650. *vt oratio, quae lumen adhibere rebus debeat, ea obscuritatem et tenebras afferat, atque vt quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur.*

§. 652.

Quemadmodum autem lux aesthetica non

est

eſt illa, qua potiſſimum genus cogitandi logicodogmaticum gaudeat atque colluſtretur: §. 629, 630. ita obſcuritas, quam philoſophis ac mathematicis ſcientifice commentantibus, veluti propriam ac naturalem, queruntur lectores vno rationis analogo percipere laborantes huic non ſcripta rationis effata, κατ' αισθησιν quidem eſt obſcuritas, §. 631. neque tamen aeſthetica, §. 633. Neque prius ſolidior philoſophia mathematicorum vel aſſequetur vel tuebitur euidentiam, quam *obſcuritates* eiusmodi *non culpae ſcribentium*, *ſed inſcientiae* vel inaduertentiae *non aſſequentium aſſignauerimus*, eadem cum veri conſcientia animique tranquillitate, ac, non *Caecilius* Gellii XX. 1. *duodecim tabularum obſcuriſſima*, ſed mathematici tenebras illas, quarum plebs puluerem et radium reos agit.

§. 653.

Ipſe Craſſus apud Ciceronem, qui latiſſime profert oratoris, hinc et ſimul ingenii pulcri, pomoeria, quando ſe fingit contra eos diſputare, qui oratorem ab omni doctrina rerumque maiorum ſcientia excludant, de or. I. 68. *Quoniam*, inquit, *philoſophia in tres partes eſt diſtributa*, *in naturae obſcuritatem*, §. 639. *in differendi ſubtilitatem*, *in vitam atque mores: duo illa relinquamus, idque largiamur inertiae noſtrae*, *tertium vero*, *quod ſemper oratoris fuit*, *niſi tenebimus*, *nihil oratori*,

in

in quo magnus esse possit, relinquemus. Equidem nec illa duo priora sic relinquo, vt negem illorum solidam scientiam oratori, et omni felicius elegantiora cogitaturo singulariter vtilem, aliquibus autem omnino necessariam: nec tertium de moribus ac vita locum ita teneo, vt audeam vllis belle cogitaturis auctor esse nuda bene beateque viuendi praecepta, sicut intellectu comprehenduntur ac ratione demonstrantur, suis inserere, nisi plausum Antonii velint, §. 121. Neque tamen philosophus vbique meum putem de vita ac moribus ita cogitare, ne quid in meditationibus ad intellectus et rationis Cynosuram exactius directis obscuri superesse videatur ad earundem examen paene solum rationis analogon intensuris lectoribus, §. 652.

SECTIO XXXVIIII.

VMBRA AESTHETICA.

§. 654.

Fecit huc vsque consideratae caliginis aestheticae turpitudo, vt a multis vix veniam impetraret, cui vel imprudenti subobscuri non nihil, dum belle cogitare parat, videatur elapsum, *adhibens* autem *latebram obscuritatis,* vt e. g. *iidem versus alias aliam in rem adhi-*

adhiberi possint, dato consilio, calculis ille censorum paene omnium singulis condemnaretur. Verum neque sponte nascuntur, nec inducuntur ab artifice quibusdam rebus vmbrae semper malis ominibus, §. 634. Possit quibusdam a te dilucide cogitatis §. 625. maius adhuc lumen §. 617. affundi, sed ita tamen, vt rotunda breuitas, S. VIII-XIIII. apta dignitas ac magnitudo, S. XV-XXVI. veritas amabilis, S. XXVII-XXXVI. perspicuitas totius elegantius concipiendi, S. XXXVII. bonae fidei persuasio, motus ac incitatio animorum, inde sperandae, aut plures harum gratiarum §. 22. simul plus inde detrimenti capiant, ac ex gradu lucis nitorisque dato pulcritudo totius creuerit: tunc lucis eiusmodi comparatiuae defectum vel natura ortum feres, vel limae studio curabis omnino, S. VI. per exceptionem non ineleegantem. §. 25.

§. 655.

Vnum insigne sumamus exemplum ex Ciceronis libris de diuinatione. Venuste cogitet eandem recens aliquis auctor nostrae aetatis hominibus, religionem Christi moresque nostros edoctis. Obiiciat et sibi, sicut Cicero, l. I. 35. *Non reperio caussam.* An etiam soluisse belle nodum iudicabitur sibi respondens ipse: *Latet fortasse obscuritate inuoluta naturae?* §. 649. Nonne plurimis

eo

eo ipſo habebitur confeſſus eam eſſe qualitatem aliquam ſcholaſticorum occultam? An plurimis ambagibus prudenter exponet, quicquid in extis tota delirauit Etruria? an multus erit, ſi ſapit, in ſignificationibus fulgurum et fallaciſſimis portentorum interpretationibus? An apte definiet, quae terrae fremitus, mugitus, motus grauia ac vera ciuitatibus praedixerint? An omnem potius veterum manticam in ſuperſtitionum vmbris relinquens ſolam naturae lucem melius ſequetur? §. 654.

§. 656.

Si qui ſint in criticis, de quibus §. 654. quibuscum auctoritatibus pugnandum eſt, §. 479. euoluant illi ſuum, immo noſtrum in his, Ciceronem Top. 3. vbi narrat *Trebatium* a legendis Ariſtotelis topicorum *libris obſcuritate reiectum eſſe, philoſophis autem Ariſtotelem ignorantibus eo minus ignoſcendum* autumat, *quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae ac inuentae ſunt, allici debuerint, ſed dicendi quoque incredibili cum copia, tum etiam ſuauitate.* Eſt ergo quaedam obſcuritas, vel doctum aliquem Trebatium a legendo abſterrens, neque tamen tollens incredibilem ſuauitatem. Haec ſane caligo non eſt, §. 614. erit igitur vmbra aeſthetica, §. 634.

§. 657.

I. Quae rotunda breuitas nec illuſtrare per-

permiserit, nec omnino reiicere, sunt obumbranda, §. 654. *Nam iterationes quidem et ταυτολογιας et περισσολογιας, quas in narratione vitandas quidam scriptores artium tradiderunt, transeo, sunt enim,* si vere sint otiosae, *vitia* non tantum in narrationibus, sed vbique, *non tantum breuitatis caussa fugienda,* sed etiam quia *superuacua cum taedio dicuntur,* hinc attentionem auditoris etiam a necessariis cum periculo subtrahunt. Huc potius *ars, qua efficiemus, ne nimis longa sit* quaedam bellae meditationis portio, *quae poterimus, differendo, non tamen sine mentione eorum, quae differemus.* e.g. *Quas occidendi caussas habuerit, quos sibi conscios assumserit, quemadmodum insidias disposuerit, probationis loco dicam.* Quint. IIII. 2.

§. 658.

II. Quae comparata reliquis pulcrae meditationis partibus tanti non sunt, vt aequabilis cogitandi ratio §. 267. possit iisdem illustrandis immorari, licet omitti cum nugis ex dignitate non possint, §. 191, 193. obumbranda sunt, §. 654. e.g. *Vt obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae, et vt interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae, et vt in diuitiis Croesi teruncii accessio, et gradus vnus in ea via, quae est hinc in Indiam, sic, quum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis rerum in corpore sitarum aestumatio*

ſplendore virtutis et magnitudine obſcuretur et obruatur, atque intereat neceſſe eſt. Cic. de Fin. III. 45. Hinc in picturà virtutis heroicae, et inter ſuperiores ingenii dotes, ſi qua ſit etiam de forma corporis iniicienda mentio, vix huius ſine quadam vmbra poterit aequabiliter cogitari venuſta dignitas, §. 186, 299.

§. 659.

III. Quae veritas aeſthetice exacta praeterire vetat, eademque, §. 552. praeſertim moralis, §. 433-436. illuſtrare prohibet, obumbrantor. §. 654. Maneamus in exemplo cognato §. 658. *Si dicas, obſcurari quaedam, nec apparere, quia valde parua ſint*, adeoque potius omittenda, quam obumbranda videri; *nos quoque concedimus*, e. g. *quod dicit Epicurus de voluptate, quae minimae ſunt voluptates, eas obſcurari ſaepe et obrui* eo vsque, vt pulcrum ſit omnino de iisdem ſilere. *Sed non ſunt in eo genere tantae commoditates corporis, tam productae temporibus, tamque multae*, vt eas ne dilucide quidem et plane §. 625. commemorari a virtutum praeconibus eſſet contra exactam, aeſtheticorum praeſertim, §. 211-215. veriſimilitudinem. *Itaque in quibus, propter eorum exiguitatem, obſcuratio conſequitur, ſaepe accidit, vt nihil intereſſe noſtra fateamur, ſint illa, nec ne ſint*, nec intereſſe pulcritudinis in toto, cogitentur illa, nec ne. - - - *Quibus autem in rebus obſcuratio*

ſcuratio tanta non ſit, fieri tamen poteſt, vt id ipſum, quod intereſt, non ſit magnum, hinc res eiusmodi quáſi per tranſennam ſtrictim oſtendere veriſimilitudinis pulcritudo iubeat. *Bona autem corporis his rebus ſunt, quas poſterius poſui, ſimiliora. Habent enim acceſſionem dignam, in qua laboretur*, etſi non digniſſimam. Cic. de Fin. IIII. 29. 30.

§. 660.

IIII. Quae tantae lucis capacia ſunt, vt in plena luce fulgentia, verendum ſit, ne totius, ad quod pertinent, perſpicuitatem in meditatione pulcra neceſſario maximam impediant, donec haec illorum lucem vicerit, obumbrantor. §. 654. *Obſcurentur minora maioribus.* Cic. de Fin. V. 58. Quoniam autem totum qualibet ſua parte maius eſt: ſplendor partis vel optimae perſpicuitatem totius obſcurans pulcram meditationem deturparet. e. g. Habeas materiam tenuem, vel etiam vnam ex mediis, delabaris autem eius occaſione communes in locos actionum maximarum, honeſtatis ad ſeueriorem naturae formulam conceptae, cognitionis de rebus coeleſtibus, ad quas

Flammeus et rapidi ſolis nitor obſcuretur.
Cat.

contemplationis rerum, quas a natura occultatas et latentes, indagare ratio poteſt, adminiſtrandae reipublicae, e. c. §. 642. Caue,

ue, ne tantum in haec ſplendoris, alias ſatis naturalis, §. 622, 623. congeras, vt eorum intuitu bonum tuum thema, velut tres Poſthumi capellae, §. 222. perdatur ex oculis, aut euaneſcat, §. 263, 279.

Vt cedunt certis ſidera temporibus,
Vt Triuiam furtim ſub Latmia ſaxa relegans
Dulcis amor gyro deuocat aerio. Cat.

§. 661.

V. Impedimenta ſi qua clarius expoſita fore ſuſpiceris perſuaſionis illius, quam obtinere laboras, neque tamen omnino praeterire poſſis, obumbrantor. §. 654. Ita *firmamenta ad fidem poſita, aut per ſe diluenda, aut obſcuranda, aut digreſſionibus obruenda* cenſet Cicero in part. et 121. *narrationem accuſatoris* vult eſſe *quaſi membratim geſti negotii ſuſpicioſam explicationem, ſparſis omnibus argumentis, obſcuratis defenſionibus, defenſorem autem* iubet, *aut praeteritis, aut obſcuratis ſuſpicionum argumentis, rerum ipſarum euentus et caſus narrare.* Hinc forte Theodori ſchola negauit dilucide exponere ſemper vtile eſſe, §. 170. non ac ſi vnquam omnem aeſtheticam liceret negligere perſpicuitatem, §. 618. ſed quia non omnia aequali in luce ſiſtere comparatiua §. 617. aeque conducat aduerſariorum vtrique. Ex eadem

dem hac regula diiudicari Quintilianus poteſt, cui IIII. 2. *ridiculum eſt quibusdam in cauſſis veritatem eſſe obſcurandam*, cauſſam interferenti, quia *obſcurare qui vult*, *narret falſa pro veris*, *et in iis*, *quae narrat falſa pro veris*, *laborare debeat*, *vt videantur*, *quam euidentiſſima.* Quoniam aliquam veritatem obumbrare, et loco eiusdem contrarium falſum narrare, quaſi verum eſſet, prorſus non eſt vnum idemque, immo ſubindicare quae verorum inſtar audeas, non eſt in iis prudenter ſemper omnibus elaborandum, vt videantur, quam euidentiſſima. §. 659.

§. 662.

VI. Quae prorſus omittere non licet, neque tamen eam animi commotionem ſperas excitatura, quam intendis, vel omnino contrariam, obumbrantor. §. 654. Parum aut nihil inde venerationis in heroem ſuum eſſe redundaturum praeuidens Virgilius, ſi alienam vrbem, inſcia regina, inſcio praeſidio, clanculum irrepens citato gradu templum adit, in quo tutus ſit, et ecce!

Infert ſe tectus nebula. Mirabile dictu!

Aen. I. 443.

An heroicum omnes cenſebunt, videre ſuos rapi in ius, neque tamen vel adire, vel verbo iuuare, metuere potius, quia

res animos incognita turbat?

 Hinc

Hinc Aeneas et Achates, dum

Diſſimulant, et nube caua ſpeculantur amicti,
v. 520.

Foeminae autem

Poſtquam *animum arrecti dictis et fortis Achates,*

Et pater Aeneas, - - -

Omnia tuta vident, claſſem ſociosque receptos,

coram videbimus iterum, quem quaerebamus, et deſiderabant forſan aliqui, heroa. Hinc

circumfuſa repente

Scindit ſe nubes, et in aethera purgat apertum.

Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit,
§. 619.

Os humerosque deo ſimilis. Namque ipſa decoram

Caeſariem nato genitrix, lumenque iuuentae

Purpureum, et laetos oculis adflarat honores,
§. 659.

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo

Argentum Pariusue lapis circumdatur auro.

§. 663.

Vidimus occaſiones, in quibus per venuſtam meditationem

locus eſt et pluribus vmbris. §. 654-662.

Quoniam autem has, non-ordinarias cogitandi rationes, ſed exceptiones, §. 654. a ſcripto-

ſcriptoribus artis vel optimis *obſcurationes* etiam dici vidimus: in iis etiam cogitationibus, vbi prorſus non opus erat exceptione, male captantur a puſillis ingeniis, nec in eas, ſed in meram caliginem et genus cogitandi plane horridum incidentibus, §. 634. *Alii, dum communem loquendi morem reformidant,* tunc etiam, quando ſeruare eundem vera pulcritudo poſceret, *ducti ſpecie nitoris, circumeunt omnia copioſa loquacitate, quae dicere volunt, ipſam deinde illam ſeriem cum alia ſimili iungentes miſcenteſque vltra, quam vllus ſpiritus durare poſſit, extendunt.* §. 636.

§. 664.

Alii, breuitatis aemuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba, et velut ſatis ſit ſcire ipſos, quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non intelligit. Auditor autem intelligitur et ſatis attentus, et talis, qualem et quantum ſermocinans, vt praecipuum ſuum obiectum perſonale, ſumere tenebatur. §. 615, 616. *At peruaſit quidem iam multos iſta perſuaſio, vt id demum eleganter atque exquiſite dictum putent, quod interpretandum ſit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata ſunt haec, quae quum intellexerint, acumine ſuo delectantur et gaudent, non quaſi audiuerint, ſed quaſi inuenerint.* §. 643-645. *Hinc in hoc malum etiam*

a quibusdam laboratur. Neque id nouum vitium, quum iam apud Titum Liuium inueniam fuisse praeceptorem aliquem, qui discipulos obscurare, quae dicerent, iuberet, graeco verbo vtens: Σκότισον *Vnde illa scilicet egregia laudatio: Tanto melior. Ne ego quidem intellexi.* Quint. VIII. 2.

§. 665.

Aridi huius magistri §. 255, 256. miserrimas *laudes obscuratura nulla vnquam est obliuio*, quamdiu supererunt ex eius disciplina, velut ex equo Troiano, prodeuntes, quorum moliminibus, quoties ad eleganter cogitandum accinguntur, occinas illud Caici apud Virgilium, Aen. VIIII. 36.

Quis globus, o ciues! caligine voluitur atra?

Sint Proserpinae, nunquam erunt vllius Veneris

pingues multa caligine taedae. Lucr.

Prima potius *Venus, Caelo ac Die nata*, Cic. de nat. deorum III. 60. caelestis illa non vulgaris,

omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiat. Tu ne qua parentis
Iussa time, nec praeceptis parere recusa, §. 614, 662. Aen. II. 604.

Horum autem vti nullum prius, aut antiquius,

quius, ita nec euidentius cogitari poteſt, quam illud, ne gratiis litaturus aliquando Cacum imitetur, §. 633. quando ille

Faucibus ingentem fumum, (mirabile dictu)
Euomit, inuoluitque domum caligine caeca,
Proſpectum eripiens oculis, glomeratque ſub antro
Fumiferam noctem, commiſtis igne tenebris,
Aen. VIII. v. 252.

* *

SECTIO XXXX.

IVSTA LVCIS ET VMBRAE DISPENSATIO.

§. 666.

Eleganter cogitaturus perſpicuitatis ſenſitiuae tenaciſſimus eſt, §. 665. Verum cultu atque ornatu ſe commendare ſi ſimul voluerit, illi danda ſingularis eſt opera, 1) vt naturalis omnis meditationis, totiusque ponendi, ſit nitor, neque minor, nec maior, ac natura permiſerit, §. 622, 623. 2) vt ad hunc conſequendum lux aeſthetica comparatiua ſic per omnes pulcrae cogitationis totalis partes proportionate diuidatur, tanta cuiuis tribuatur, neque minor, nec maior, 1) potiori, ne ſequiorum compartium obſcuretur lumine, ſed illuſtretur, 2) ſequiori, ne

potiorum compartium luce illustretur, sed obumbretur. §. 634, 658. Vtrumque dicamus IVSTAM ET CAVTAM LVCIS ET VMBRAE DISPENSATIONEM.

§. 667.

Iustus lucis et vmbrae dispensator I. naturalem toti, quod cogitare mens est, nitorem nitorisque gradum conciliaturus, §. 666. bene metietur, quantum illud fieri potest, 1) naturam thematis sui lectaeque vel praescriptae materiae, §. 623. quarum

Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri, §. 624.

Nec vniuersim considerare suaserim materiae naturam et in abstracto tantum, quod aiunt, verum perpensis simul pro virili circumstantibus iis omnibus, in quibus nunc erit concipienda, e. g. quo loco, quo tempore cogitanda sit, quantum per temporis interuallum vel protrahenda vel corripienda sit datae materiae satis plena meditatio. Longior enim plures vmbras admittet, per relatiue breuiorem excludendas, §. 167.

§. 668.

Porro ponderanda res est, et indaganda eius magnitudo ac dignitas relatiua §. 178, 185. Non solium modo, iam vrbes et fora plerumque nesciunt

aptam pastoribus vmbram, §. 368-372.

Idem

Idem heros admodum inaequalem naturaliter lucem poſtulat deſcribendus, 1) dum dormit in cunis,

vbi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adſpirans complectitur vmbra. Aen. I. 697.

2) dum vir patriam ab hoſtibus, tellurem a monſtris liberat.

Tum ſiluis ſcena coruſcis, §. 203.
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet vmbra. Aen. I. 168.

3) dum grandaeuus in haerede ſuae gloriae virtutes etiam ſuas pacatus laetatur reuireſcere, ſicut

Parnaſſia laurus
Parua ſub ingenti matris ſe ſubiicit vmbra. Virg. Georg. II. 19.

§. 669.

Haec materiarum dimenſio eo magis neceſſaria eſt, §. 668. quia non inuenies foecundiorem meteororum ac βαθȣς cauſſam, ac nitoris ſtudium in fucos et pigmenta deſinens, §. 626, 627. praeſertim in ſublimibus, S. XXII. Quam primum occurrit malis inter poetas geometris ſilua, §. 203. pyrae cuidam conſtruendae ſatis grandis, eſt illa ſubito,

largae qua non opulentior vmbrae

Argo-

Argolicos inter ſaltusque educta Lycaeos
Extulerat ſuper aſtra caput. §. 322.

Quando caeditur, tantum eſt malum,

Vt quum poſſeſſas auidis victoribus arces
Dux raptare dedit, vix ſigna audita, nec vrbem
Inuenias. Ducunt, ſternunt, abiguntque, feruntque
Immodici. Minor ille fragor, quo bella geruntur. Stat. Theb. VI. 90-117.

§. 670.

Verior naturalis nitoris eſt mathematicus §. 667. Longinus, quando per figuras illuſtrantes πανουργειν S. XVII. in vere grandibus non permittit, niſi lateat illud artificium in auguſtiori ſublimitatis luce. *Quemadmodum enim lumina debiliora ſolis circumfuſa radiis euaneſcant: ſic* alias *rhetoricorum artes opacari ſublimitate. Neque diuerſum*, addit, *illud eſt, quod accidit in pictura. Nam quum vmbra et lux per colores in eodem tabulae plano parallelae iacent: tamen lux prius oculos ferit, neque tantum egregia magis, ſed etiam propior videtur. Quare etiam affectus et ſublimia, quum animabus propinquiora ſint, ob naturalem cognationem et ſplendorem praecellunt ſemper et eminent prae figuris* pingentibus tantum §. 142. *earumque artem obumbrant et tegunt.* Figura tantum illuſtrans tamen ita temperanda eſt,

vt

vt non ſit, niſi quaedam vmbra ſimul augentium, §. 329, et mouentium, §. 666.

§. 671.

Porro iuſtus et cautus lucis et vmbrae diſpenſator naturam ſuae materiae dimenſus attendat eius veritatem gradumque veriſimilitudinis, §. 667. Lux veritatum generalium et ſingularium comparatiua non vbique congruit et aequalis eſt. §. 440, 561. Genus cogitandi aeſthetica dogmaticum quanquam non habet eam obſcuritatem *κατ' αισθησιν*, §. 631. quam non reformidat logicodogmaticum et ſcientificum, §. 652, 566. abſtinet tamen a multis, vſu lucis temperatiore, quibus aeſtheticohiſtoricum nitet, et maxime poeticum, §. 566, 561. Jam vidimus Ciceronem in ſcriptis ſuis materialiter philoſophicis non ſequutum eſſe genus cogitandi acroamaticum, §. 629. tamen praeuidet aeſtheticodogmatice philoſophaturus, *quam argute, quam obſcure etiam contra Stoicos* aliquando ſibi *diſſerendum* ſit. quaeſt. ac. I. 7.

§. 672.

L. de fin. II. 15. eo vsque procedit, vt concedat *duobus modis ſine reprehenſione fieri, ſi quis ita loquatur, vt non intelligatur. Si aut de induſtria facias; vt Heraclitus, qui de natura nimis obſcure memorauit, aut quum rerum*

rum obſcuritas, non verborum, facit, vt non intelligatur oratio, qualis eſt in Timaeo Platonis. Habes duos dogmaticos obſcuros ſine reprehenſione. Si de induſtria obſcurum interpreteris obſcurum κατ' αισθησιν deliberato conſilio, ne per meditationes ſcientificas et acroamaticas in obſcuritatem κατα νοησιν incidat: §. 631, 632. ſi talem in ſcriptis ſuis phyſicis fuiſſe Heraclitum ſtatuas: eſt ille quidem ſine reprehenſione, verum tunc non ita loquutus eſt, vt non intelligatur, ſed ita, vt non intelligatur a lectoribus ſolum paene rationis analogon ad lectionem afferentibus, rationis autem neruos intendere recuſantibus. §. 652.

§. 673.

Si de induſtria obſcurum interpreteris eum, qui ſpectatoribus, quales praeſertim attendere tenetur, non oſcitantibus et merito requiſitam attentionem offerentibus, tamen tenebras offundere, fumumque vendere fixum animo habet et propoſitum: ſi Heraclitus aliquando ſaltim, ex atra bile, contemtuque ciuium, eo lapſus eſt; §. 644. non eſt ſine reprehenſione. §. 663-665. Si rerum obſcuritatem interpreteris eam plerorumque hominum infirmitatem, qua datam rem a ſenſibus ſuis natura remotiorem ne mente quidem aſſequuntur, licet eandem tum alii mentis aciem diligentius exercentes pulcre

poſſint

possint intelligere: tum ipse rem eandem tractaturus clare dilucideque perspiciat; si Platonem in Timaeo de rebus hac ratione subobscuris loqui senseris: hanc ob caussam obscurus est ille quidem sine reprehensione, verum nec ita loquutus est, vt non intelligatur, sed ita, vt non intelligatur, nisi ab iis, quibus volupe est aeque mentem acuere, rerum a sensibus per ipsam naturam remotarum contemplatione, nunc seueriori, nunc remissa magis atque iucundiore. §. 671.

§. 674.

Si rerum obscuritatem interpreteris vel eam absolutam solis chimaeris, somniis obiectiuis, figmentis vtopicis ac eorum interpretamentis propriam, vel istarum rerum, quas intuitu generis humani adeo

Caliginosa nocte premit deus,

vt earum quicquam ne probabili quidem aestheticis ratione possimus hariolari, vt eas ne tractaturus quidem de iisdem vel intellexerit, vel dilucide saltim animo perceperit vnquam: si Platonem in Timaeo, saltim aliquando, res eiusmodi pictum ire concesseris, vel alia via vitabilem rerum obscuritatem incurrere, §. 646. hanc ob caussam obscurus non est sine reprehensione, §. 638. nequicquam obscuritate rerum excusatus, §. 639, 647-649. Nam *pessima sunt αδιανοητα,* h. e.

h. e. *quae verbis aperta occulto ſenſu ſunt.* Quint. VIII. 2.

§. 675.

Si tandem eum omnem neges intelligi, quem de rebus, etiam arduis, differentem aliqui, vel omnium rerum ac artium, immo linguarum etiam, ignariſſimi, non ita capiant, vt omnem ſingulis exhauſiſſe rem, nihilque feciſſe reliqui, iudicetur, quod clarius adhuc perſpicere quisquam deſiderare poſſit: tunc ita loqui, vt hac ratione non intelligaris, vtique fit ſine reprehenſione, neque tamen his duobus tantum modis, ſed pluribus,

et hanc veniam petimusque damusque viciſſim.

Debet adhuc naſci ille coquus, qui nouerit omnes
Sic condire cibos, ſapidi vt ſint omnibus aeque. Hor.

Hoc ſignificatu dogmaticus omnis inueniet multos, a quibus non intelligatur, §. 671. ad ſola ſingularia, quaſi glebae, adſcriptos, §. 404. vel etiam ſolis heterocoſmicis, ne dicam vtopicis, animo voluendis adſuetos, §. 441, 514.

§. 676.

Naturam materiae ſuae dimenſus iuſtus lucis et vmbrae diſpenſator, §. 667. attendat etiam

etiam internam eius turpitudinem vel pulcritudinem, §. 203, 204. quatenus a cogitationum pulcritudine differens facit, vt pulcra turpiter, turpia pulcerrime cogitari possint, §. 18. Quis enim dubitet, an pulcra turpitudinis imago, miscere debeat vmbram et lucem aliter, ac non foeda solum pulcritudinis deformatio, sed etiam pulcra Veneris effigies? §. 666. Formaliter pulcram foedissimae mulierculae picturam exhibens Ouidius, Am. I. 8. in aliis lenae ductibus,

Hanc, ait, *ego nocturnas versam volitare per vmbras*
Suspicor, et pluma corpus anile tegi.
Suspicor, et fama est. Oculis quoque pupula duplex
Fulminat, et gemino lumen ab orbe venit.

Nonne hoc lumen, haec fulmina reticuisset in quauis matrona, quam laudare aggressus foret, etiamsi fuissent magis conspicua magis rubris in oculis, ac huius anus erant *lacrimosa vino lumina?*

§. 677.

Denique materiae suae naturam prudenter perpendens, vt lucem et vmbram caute dispenset, §. 667. de eo sit solicitus, an ea iam per se satis certa videatur, an fulgentibus demum ex rationibus omnem suam euidentiam sperare debeat, an theoretica sit

 eadem,

eadem, an practica. §. 576. In theoreticis enim et rebus eiusmodi, quae frustra probari, quarum rationes nequicquam recenseri videantur, multa nitere poterunt, quae vel omnino reiicienda, vel non nisi per vmbras ostendenda sunt, vbi vel summa de veritate rei contentio, vel vehementiores animi commotiones excitandae praeuidentur, §. 661, 662. vel atrocissimas accusatoris criminationes in foro, vel praesentissimum vitae periculum inter latrones a capite suo depulsurus,

quis humum florentibus herbis -
Spargeret? aut viridi fontes induceret vmbra?

§. 678.

Cautus lucis et vmbrae dispensator pro virili perpendet 2) naturam suam ipse, qualem §. 150. descripsimus, dynamometria naturali, sed seuera, §. 457. cum considerata secundum §. 667-677. materiae datae natura collatam. §. 666, 622. Si quam vix *agnoscit rem, vt primum iuxta stetit,*

qualem primo quis surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam,
Aen. VI. 454.

eam numquam sibi leget, nec audebit exornare, quam non posset, nisi fucis, illinere §. 626. §. 648. Praesertim hoc sibi dictum putet,

Ad pugnam qui rhetorica descendit ab vmbra.
Inu. VII. 173.

et

et ſuae nonnunquam artis topicis, argumentis, figuris, floſculis, chriis, periodis, e. c. adeo confidit, vt quamcunque materiam ſibi temere ſumens, vel incidat in battologiam §. 639. notatam, vel in fucos vmbratiles, §. 109.

§. 679.

Iuſtus lucis et vmbrae diſpenſator ponderabit 3) naturam eorum, quorum potiſſimum in gratiam venuſte cogitare decet et mens eſt. §. 666, 623. Si vel maxime praeclarum in aeſtheticis ingenium

Non ſibi, ſed toti genitum ſe credidit orbi:

vix tamen inueniatur, quod omne genus mortalium ſibi, pulcre cogitare dum volet, conſtituat obiectum perſonale, nullis inde praecipuis et propioribus lectis, vel minus animaduertendo, ſpectatoribus. Primae potius claſſis, inter venuſtos, auctores inſcripſerunt ſuos libros certis hominibus, ex quorum conditione metiri poſſes, quales ac quantos ſibi lectores poſuerint ob oculos, donec haec pulcra profecto conſuetudo degenerauit in tritum dedicandi morem, ne dicam mercenarium. Quos ſibi ſpectatores praeſertim optat pulcre cogitaturus, horum naturam meditetur, vti ſuam, et materiae, easque comparatas inter ſe, quam fieri poteſt determinatiſſimis in circumſtantibus et affectionibus, §. 667, 678.

§. 680.

Elegantiarum in cogitando ſtudioſus, cui ſiniſtra fortuna laborandum eſt, vt ſe miretur turba, non poterit eos omnino negligere, quibus flumen neſcio quod, inſtar omnis perſpicuitatis eſt, et, quaecunque ſignificet, clarus tamen ac limpidus nominatur vno tenore

Perpetuus ſermo, nigrai noctis ad vmbram
Aurorae perductus ab exoriente nitore,
Praeſertim ſi cum ſummo eſt clamore profuſus.

Lucr. IIII. 540. Quibus dum ſatisfacit, quantum vbertas materiae, S. VIIII. quantum ingenii flumen, S. XII. quantum latera pulmonesque permiſerint, §. 678. non tamen pulcre eorum obliuiſceretur in populo, quos non tam nugae, canorae quidem, ſed inopes rerum delectant, quam locis ſpecioſa et recte morata, ſi vel maxime veneribus aliis, pondere ac arte, deſtituerentur, §. 226. melius iſtos attendit ſimul in populo, qui horum omnium aliquid deſiderant. §. 434.

§. 681.

Cui datur eſſe contentum paucis lectoribus, ſed ſaporis etiam magis eruditi, §. 275. horum naturam, captum, genium, conſuetudines, anticipationes eo curatius inquirat, vt, quoniam vna res, diuerſis ex lateribus, diuerſae luci poteſt ab eiusdem ſatis gnaro expo-

exponi: ea potiſſimum rei facies, illique luci obuertatur, quam ſpectatoribus exſpectes fore iucundiſſimam. Sic quaedam illuſtrationes aliquibus videbuntur tritae, ac proletariae, vel vmbratiles et ſcholaſticae, quae ſatis placerent aliis. Quaedam his exoptatiſſimae captum illorum tranſcenderent, et nitoris loco minarentur caliginem, e. g. ex antiquitatibus, certis hiſtoriis, vel interiori naturae contemplatione deſumendae. §. 679, 666.

§. 682.

Iuſtus lucis et vmbrae diſpenſator per pulcram meditationem II. ſingulis eius partibus tantum vmbrae vel lucis affundet, quantum requiritur, vt principales minus principalium non obſcurentur luce, ſed vmbra colluſtrentur. §. 666, 667. Haec eſt vna ex principibus lucidae methodi regulis, quando ad huius tractationem deueniemus, vberius exponenda. §. 13. Nunc eiusdem generali quadam idea contenti ſumus, ſecundum quam e. g. 1) partem aliquam ex principalibus ſi iuſtus, quem quaerimus, diſpenſator, pulcriori luce perfudit, iamque timendum eſt, ne fatigatus ſpectatoris oculus caliget hinc immediate traducendus ad aliam potiorem adhuc, adeoque maiore ſplendore dignam; imitator naturae ſciat prioris partis

Aestibus in mediis vmbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jouis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet vmbra,
Georg. III. v. 330.

qua recreatus ipse cum suis ad nouam lucem prodeat, §. 637. Aeneidos l. V. est hanc ob caussam interiecta vmbra libris quarto et sexto. §. 634, 635.

§. 683.

2) Quo propius abest a parte totius suae meditationis primaria, hinc summam lucem postulante cautus imitator naturae, de quo loquimur, hoc magis *vmbras contrahit*, quemadmodum minimas meridies habet, 3) si deuenerit in eas partes, in quibus vel singularis dignitas magnanimiter, vel euidentior persuasio solidius, vel vehementior animi motus ardenter exprimendus est, sane, non perdet otium pingentibus tantum

Spargere humum foliis, inducere fontibus vmbram.

§. 670, 677. ante quam autem ad has fortiores decertationes deuentum est, aut, vbi pulcer ordo maioribus earum vocibus, veluti per concentus musicos, alicuius interualli silentium imposuit, §. 682. tunc ille meminit Veneris, §. 665.

adsue-

adſuetae ſemper in vmbra
Indulgere ſibi, formamque augere colendo.
Ou. Met. X. 534.

§. 684.

Iuſtus lucis et vmbrae diſpenſator 4) iam etiam perſpicuitatis cauſſa tenebitur nullam rem temere cogitare, velut abſtractiſſimam et minime determinatam, quam non ſolum interne determinatiorem licet animo formare, ſed etiam vmbra quadam comitari, §. 440. Pulcre, *Maecenas* ſi ſiſtendus eſt, *adducit* quasdam *vmbras*, vti apud Horatium ſerm. II. 8, 21.

cum Seruilio Balatrone
Vibidium.

Pulcre *virtus* ſi pingitur, eam, *tanquam vmbra, ſequatur gloria, etſi haec nihil in ſe habet, cur expetatur.* §. 212. *Totius hic locus ſi contemnendus eſt in nobis, non eſt negligendus in noſtris.* Cic. tuſc. quaeſt. I. 15. Ne turpis quidem Canidia Horatio eſt ſine vmbrarum

magna comitante caterua. §. 676.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Vmbrae cum Sagana reſonarint triſte et acutum? Hor. Serm. I. 8. 40.

§. 685.

Haec iuſta lucis et vmbrae diſpenſatio non

eſt vnum ex primis et facillimis artificium, ſicuti nec fuit in pictura, nec eſſe quotidianis adhuc documentis comprobatur. §. 666, 682. Prima *non* erat *pictura*, *niſi quae lineas modo extremas vmbrae, quam corpora in ſole feciſſent, circumſcriberet*, Quint. X. 2. *Secundam affirmant eſſe, ſingulis coloribus, et monochromaton dictam, poſtquam operoſior inuenta erat.* Plin. hiſt. nat. XXXV. 3. *Tandem ſe ars ipſa diſtinxit, et inuenit lumen atque vmbras, differentia colorum alterna vice ſeſe excitante. Deinde adiectus eſt ſplendor, alius hic, quam lumen, quem quia inter hoc et vmbram eſſet, appellauerunt tonon.* c. 5.

§. 686.

Pars imaginis clariſſima lumen, obſcuriſſima vmbra dicitur per eminentiam, inter has cauta diſpenſatione, quam hucusque commendauimus, naſcitur ſplendor ille, qui TONVS dicitur. § 685. Sic *hoc idem, quod eſt in naturis rerum, transferri poteſt etiam ad artes.* e. g. *fingendi*, *picturae*. *Et, ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, et tamen verum, quanto admirabilius in oratione atque in lingua?* Cic. de or. III. 26. *Habet illa in dicendo ſumma laus ac admiratio vmbram aliquam et receſſum, quo magis id, quod illuminatum eſt, exſtare atque eminere videatur.*

§. 687.

Hinc et artificium vmbram et lucem bene dispensandi nec sine doctrina quadam solet obtineri, nec obseruari, vbi adhibitum est, nisi a peritis et disciplina eo pertinente satis imbutis. §. 685. *Quam multa vident pictores in vmbra et in eminentia, quae nos non videmus?* Cic. quaest. ac. IIII. 20. Plinius suum de laudibus Traiani librum mittens Voconio per breuissimam epistolam III. 13. huius tantum regulae mentionem iniicit: *Vt in pictura lumen non alia res magis, quam vmbra, commendat: ita orationem tam summittere, quam attollere decet.* Nec intuitu dignitatis tantum, sed etiam *varie figurando.* §. 619. Hinc votum eius: *Vtinam ordo saltim et transitus figurae simul spectarentur* a lectore! §. 682. *Nam inuenire praeclare, enunciare magnifice interdum etiam barbari solent: disponere apte, figurare varie, nisi eruditis, negatum est.*

SECTIO XXXXI.

COLORES AESTHETICI.

§. 688.

Quemadmodum in physicis *color* est modificatio visae lucis: ita modificationes lucis aestheticae, §. 614. sunt COLORES AE-

STHETICI. Huc propius non ſpectat color de quo §. 545. licet nonnunquam probando, ſimul illuſtrans, eſſe poſſit in coloribus nunc noſtris. §. 142. 143. Huc pertinet quidem tonus ille, de quo §. 685. non tamen exhaurit colores omnes aeſtheticos, ſicuti iam non amplius tentabit temere quisquam phyſicorum omnes colores deriuare ex quadam miſcela lucis et vmbrae, albi et nigri, materiae et priuationis, Minime omnium huc pertinet FVCVS AESTHETICVS, affectata, §. 110. viuiditas, §. 626, 627. Veneris nunc noſtrae, §. 665. eſt

Verus color, corpus ſolidum et ſucci plenum.
§. 619, 622. Ter. Eun. II. 3.

§. 689.

Omnes hoc colores commune inter ſe habeant aeſthetici, vt iis pingenda dilucide ſaltim cogitentur, §. 648, 625.

Qualis enim caecis poterit color eſſe tenebris,
Lumine qui mutatur in ipſo propterea, quod
Recta aut obliqua percuſſus luce refulget?
Lucr. II. 800.

Obiter hic quaeritur, an non Lucretius iam viderit veram colorum geneſin, diverſum refractionis gradum. Quemadmodum modificationes omnes vel qualitatum ſunt, vel quantitatum, vel vtrarumque ſimul: ſic et colores aeſthetici primo qualitate differunt, deinde

deinde quoduis hac ratione discrepantium colorum genus habet denuo suam quantitatem, vt ita dicam, specificam, qua variata nouus semper nouusque partialiter color producatur, et ita videas totius alicuius

in quouis vno puroque nitore, §. 619.
Dissimiles longe inter se variosque colores.

§. 688. Lucr. II. 783. qua iucundam in vnitate totius varietatem partium exhibentes

varii rerum impediunt prohibentque colores,
Quo minus esse vno possit res tota nitore.
Lucr.

per aequalem monotoniam minus placituro. §. 688.

§. 690.

Quemadmodum autem pictura monochromatos *singulis coloribus* vsa non obstante sua simplicitate, tum primum placuit, tum *durat etiam nunc*, et in maiore saepe pretio est, quam coloribus satis superque variegata, cuius sola laus sit colorum varietas: ita et colores aestheticos qualitate differentes in omni pulcra meditatione plures sectari, aut omnino numerosam eorundem semper aucupari multitudinem opus non est. §. 685. Sit quibusdam pulcre cogitandis, praesertim breuioribus, vnus tantum color respectu qualitatis, sed verus et naturalis, §. 688. quantitate differens ex iusta lucis et vmbrae dispensatione,

ne, §.666. aequabiliter vbique materiae temperatus §. 267. satis venusta potest esse cogitandi ratio per omnem cogitationis decursum vna regnans, e.g. nunc aspera, nunc lenis, nunc submissa, nunc elata, nunc tristis, nunc ludicra. §. 688.

§. 691.

Sicuti *quatuor coloribus solis immortalia opera fecere Apelles, Echion, Melanthius, Nicomachus, clarissimi pictores, quum tabulae eorum singulae oppidorum venirent opibus:* Plinii autem, per aetatem, *purpuris in parietes migrantibus et India conferente fluminum suorum limum et draconum et elephantorum saniem, nulla nobilis pictura erat:* Hist. nat. XXXV. 7. sic nec in ea pulcra meditatione, quae quosdam colores, etiam qualitate differentes coniungit, horum tam quaeratur copia variationisque prodigium, quam vt, pauciores forte, tamen *alterna vice sese excitent*, qui adhibentur, aptumque naturis pingendorum tonon seruent, §. 68:. neque coactas habeant *colorum commissuras ac transitus*, nec affectatam *αρμογην*. §. 688. Plin. hist. nat. XXXV. c. 5.

§. 692.

Vti physicorum colorum, non eorum primitiuorum solum, sed etiam deriuatiuorum, non simplicium solum, sed etiam compositorum,

rum, et decompositorum praesertim si primitiuorum et cognominum, e. g. rubri, silacei, viridis, caerulei gradus simul attendas, classes sunt indefinitae, in omnibus tamen maior nunc extensiue, nunc intensiue, qua robur et celeritatem, lucis quantitas genericam specificamque differentiam vel constituit, vel saltim ingreditur: §. 689. sic et aestheticorum colorum tum qualitate differentium, §. 690. tum gradu lucis et toni diuersorum tot ordines paene sunt, quot rerum naturae, ac modi in rebus ac fines, quos vltra citraque nequeat vera lux subsistere, nec verus color. Modificationum tamen harum omnium differentias etiam certa lucis aestheticae quantitas ingreditur. §. 688.

§. 693.

Quoniam itaque completam colorum enumerationem nemo temere suscipiat: subsistamus in diuisione pliniana: Hist. nat. XXXV. 6. *Sunt autem colores aut austeri, aut floridi.* Concipiamus scalam toni a nigerrimis vmbris, quas admittat lux aesthetica absoluta, §. 617. per diuersos colorum aestheticorum gradus et ordines ad candidissimum vsque nitorem aestheticum, §. 619. In hac scala erit quidam tonus medius. COLORES infra medium tonum subsistentes AVSTERI sunt, eum transcendentes FLORIDI.

§. 694.

§. 694.

Quanquam itaque reiicimus genus cogitandi plane horridum, §. 634. tamen poteſt in ipſis venuſtis meditationibus locum ſuum tenere hinc recte conceptum GENVS COGITANDI HORRIDVLVM ac auſterum, in quo color vel colores auſteri regnant, §. 690, 693. comparandum illi *picturae horridae*, *incultae*, *abditae ac opacae*, *in ſuo tamen genere praeſtanti*, §. 624. opponitur iſti GENVS COGITANDI FLORIDVM, in quo color vel colores floridi regnant, ſ. potiores ſunt, aut vnici, comparandum illi *picturae nitidae*, *laetae atque colluſtratae*, non minus *praeſtanti in ſuo genere*, §. 624.

§. 695.

Horridulum cogitandi genus non excludit aut horret lucem aeſtheticam et perſpicuitatem ſenſitiuam, immo ne nitorem quidem omnem, ſed tantum maiorem, §. 694, 693. Poteſt eſſe, quod Antonius ait de Craſſi oratione rhetorica, Cic. Or. III. 51. *de horridis rebus nitidum*, *de ieiunis plenum*, *de peruulgatis nouum*. Horridarum interim rerum verus ac naturalis color non eſt, niſi auſterus, et fucum faceret florida rerum horridarum cogitatio, §. 688. Craſſi nitet oratio, ſed quantum nitere poteſt genus cogitandi aeſtheticodogmaticum, quod compara-

paratum aeſtheticohiſtoricis, aut omnino poeticis, horridulum ſemper eſt ac auſterum, §. 671, 566.

§. 696.

Auſteram habes apud Virgilium Aen. IV. 247. deſcriptionem

Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum aſſidue cui nubibus atris
Piniferum caput, et vento pulſatur et imbri,
Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento
Praecipitant ſenis, et glacie riget horrida barba.

Mox autem Aeneae floridam, §. 694. v. 261.

Atque illi ſtellatus jaſpide fulua
Enſis erat, tyrioque ardebat murice laena
Demiſſa ex humeris, diues quae munera Dido
Fecerat, et tenui telas diſcreuerat auro.

Vt hic colores iuxta ſe proxime poſitarum imaginum ſeſe alterna vice excitant? In commiſſuris eorum ac tranſitu quam naturalis eſt αρμογη? §. 691.

§. 697.

Auſteram iungamus ex Ouidio deſcriptionem Boreae ſibi coniugem rapientis, Met. VI. 702.

Excuſſit pennas, quarum iactatibus omnis

Afflata est tellus, latumque perhorruit aequor,
Puluereamque trahens per summa cacumina pallam
Verrit humum, pauidamque metu, caligine tectus,
Orithyian amans furuis amplectitur alis.

Floridam Aeneae descriptionem aliam v. §. 662. Vtrumque coloris genus quasi e longinquo, qua solet, breuitate Tacitus ostendit, quando narrat *Pharasmanem simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde praedam, ostendere*, Ann. VI. 34.

§. 698.

Vtrumque colorum aestheticorum genus vel pingitur in rebus naturalibus, quatenus a moralibus distinguuntur, vel in moralibus deprehenditur. Horum verus ac naturalis color dabit tertiam ηθους speciem, §. 195, 495. qua moratum cogitandi genus, §. 226. moribus characteribusque personarum, nationum, e. c. moralibus non dilucide solum exprimendis sufficiat, sed cuilibet etiam ex his eum locum, eum tonum, id lucis et vmbrae temperamentum, eum colorem tribuere nouerit, qui decet, §. 193. Ita primum apparenti cuiusdam virtutis personae conuenient austeri colores et genus cogitandi horridulum, omnis virtutis decor verus ac naturalis,

ac

at interior colores et genus cogitandi floridum admittit. Primum apparenti vitiorum quorundam laruae colores floridi laetumque cogitandi genus ac collustratum conueniunt; omnium vitiorum internae turpitudini colores austeri genusque cogitandi subobscurum, §. 676, 694.

§. 699.

Videamus insigne exemplum in Horatii III. oda 24. vbi 1) luxuriam, vti primum apparet, genere cogitandi florido describens:

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et diuitis Indiae
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum:

statim subausterus verum huius vitii statum interiorem pingit:

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clauos: non animum metu,
Non mortis laqueis expedias caput.

Pergit eadem austeritate morum magis innocentium externum habitum primo apparentem horridius describere, v. 8-28. redit adhuc horridulus ad interiorem luxuriae deformitatem sistendam ob oculos, v. 29-44.

§. 700.

Iam autem temperantiam suasurus ex vera

huius virtutis natura, licet plerosque latente, diuitiis renunciare iubet, ſubito floridus:

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba fauentium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus.

Probe praeuidet, quam abſonum hoc, quicquid erat conſilii, debeat apparere potentiorum ciuium plurimis. Hinc ſua ſe denuo virtute inuoluens illud probat auſterus:

Scelerum ſi bene poenitet,
Eradenda cupidinis
Praui ſunt elementa, et tenerae nimis
Mentes aſperioribus
Firmandae ſtudiis.

Quoniam autem deſperare videtur de conſiliorum ſuorum fructu in ſevera auſteraque vitiorum intus et in cute male ſanorum imagine conquieſcit. §. 698.

§. 701.

Coniungit Ouidius naturalium moraliumque colores in enarrandis quatuor orbis, quas fingit, aetatibus, Met. I. Aetatis aureae ſtatum florido quam maxime cogitandi genere proſequutus moralem v. 90-100. §. 594. tranſit

transit ad naturalem iisdem floribus conspergendum:

Per se dabat omnia tellus.

\- - - -

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

\- - - -

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaque de viridi stillabant ilice mella. v. 112.

§. 702.

Iam tonum remittit in argentea aetate pingenda, v. 112-124. magis adhuc in aeneae breui commemoratione sensim cum aetatis illius hominibus

ad horrida promtior arma, v. 126.

In ferrea autem aetate describenda vt totus inhorrescit? §. 594.

Viuitur ex rapto. Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero. Fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercae.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet Pietas, et virgo caede madentes
Vltima caelestum terras Astraea reliquit.

Neue foret terris securior arduus aether,
Affectasse ferunt regnum caeleste Gigantas,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes. 153.

§. 703.

Pauci sunt, vel nemo, quem deceat, sicut
Omnis Aristippum decuit status, et color, et res,
Hor. ep. I. 17, 23.

nisi Horatius in hoc etiam splendide mentitus est. Nihil magis principia negatae totalis similitudinis ac aequalitatis confirmat experientiae, quam characterum et personarum, morum et modorum agendi diuersitas. In quibus tamen ita exprimendis, vt distingui possint, naturam cuiusuis propriam ac suam imitari tanti est, vt, vel hoc vnum qui nesciat, eum poetae neget nomine dignum Horatius, quando Artis Poet. v. 86.

Descriptas, ait, *seruare vices, operumque colores*
Cur ego, si nequeo ignoroque poeta salutor?
Cur nescire, pudens praue, quam discere, malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item priuatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari caena Thyestae,
§. 690.
Singula quaeque locum teneant sortita decentem.

in

in naturalibus etiam et mechanicis, quod facilius, praesertim autem in moralibus, quod difficilius, §. 666, 691.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

SECTIO XXXXII.

FVCVS AESTHETICVS.

§. 704.

Fuci aesthetici tum definitionem iam vidimus §. 688. tum quaedam genera, §. 626, 627. Sed eius a veris coloribus discernendi difficultas simul, ac necessitas separatam de eodem tractationem videtur requirere. §. 628, 625. Sicut autem veri colores sunt vel austeri, vel floridi: §. 693. ita et fucus erit vel nimis austerus, non horridulus, sed horridus, §. 634. vel nimis floridus et Iridis instar,

Mille trahens varios aduerso sole colores.

Horridulum iam aliquid sonat illud Virgilii,

Arma virumque cano.

Austerius illud est circa medium totius carminis:

Bella, horrida bella,

Et Tyberim multo spumantem sanguine cerno.

Interim rem, de qua agebatur, secundum naturam exprimit verus color, et austeritatis

gradus diuersus descriptas vices seruat, locumque decentem sortitus est. §. 703.

§. 705.

Huic horridulo colori compara fucum horridum Lucani:

Bella per Emathios plus quam ciuilia campos,
Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem,
In sua victrici conuersum viscera dextra,
Cognatasque acies, et rupto foedere regni
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas, infestisque obuia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.
Quis furor? o! vates! *quae tanta licentia* ab ouo?

Sic *incipiat scriptor* aliquis *cyclicus*. Color, non *suum decenter locum* nactus, iustoque saturatior, fucus est. §. 703, 688.

§. 706.

Silius Italicus iam auspicatur austerius Virgilio. §. 704.

Ordiar arma, quibus caelo se gloria tollit
Aeneadum, patiturque ferox oenotria iura
Carthago.

Initium, cui forte satur Horatius iam occlamet: Obe! ampullas! Huic tamen satis naturalem

turalem colorem dixeris comparato cum principiis Claudiani de bello Gethico, quibus in ipso limine *furtiuae aurum pelliculae*, tritus ille fucus, §. 626. illitus est:

Intacti quum claustra freti coeuntibus aequor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo
Oeteam Colchosque petens, propiore periclo,
Omnibus attonitis solus post numina Typhis
Incolumem tenui damno seruasse carinam
Fertur et ancipitem montis vitasse ruinam
Deceptoque vagae concursu rupis in altum
Victricem duxisse ratem. e. c. vsque ad v. 35.

§. 707.

Horridus eiusmodi fucus, §. 704. non sola singularia potest deturpare, §. 708, 706 et genus cogitandi aestheticohistoricum, §. 566. pari ratione cauendus est aestheticodogmaticis, et vtriusque tum naturalia, quatenus moralibus opponuntur, exhibentibus, tum moralia, §. 698. Potest in eum delabi genus cogitandi aestheticodogmaticum theoreticum, potest et practicum, nunc paraeneticum, nunc elencticum, §. 576. In his versatus eo magis esse debet solicitus, ne descriptas migret vices, colorisque naturalis et fucorum limites, quoniam et omne iam dogmaticum meditandi genus habere vi-

detur nonnihil horriduli, §. 695. et in moralium coloribus facilior lapsus est, dum duplex de iisdem, nunc exterius, et praecipitanter, nunc interius et penitius perspectis, solet iudicium ferri, §. 698. 703.

§. 708.

Fucum aestheticopracticum §. 707. non eum crassiorem nunc dissuadebimus, in quem inuehitur Iuuenalis, sat. 2. quando

Vltra Sauromatas fugere huic libet, et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, et Bacchanalia viuunt.
§. 362.

Subtilior hic culpandus in cogitationibus fucus etiam eorum est, quorum forte nec mala mens, nec malus animus est, licet verioris beatitudinis non satis conscius. Quaeratur e.g. de vero felicitatis colore, quem naturalem et non fucatum explanet aestheticodogmaticus. Sequuntur tunc sui sapientis archetypum, et inde deriuatas cogitandi loquendiue formulas, Stoici quae *dum mordicus tenent, neque sibi euelli ex ore* vel animo *volunt: horridiores euadunt, asperiores, duriores et oratione, et moribus*, et ipsa cogitandi ratione. Cic. de fin. IIII. 78. Hinc in eorum picturas boni, mali, virtutis, beatitudinis, felicitatis fucus inducitur nimis austerus. §. 704.

§. 709.

§. 709.

Sub eadem hypothesi §. 708. sequetur Epicureus aliquis vnicam voluptatem, quam si formauerit animo, sicuti facilis est, et in vulgus peruulgata, neque totum caelestis nostrae Veneris systema, sed eius aliquam modo particulam, mente comprehenderit, §. 646. temere mollescet in eam leuitatem, vt mites forsan aliquos Felicitatis ductus satis feliciter imitetur, quos autem grauiores et austeros simul exprimere

iubet horrida Virtus,
Armatumque Fide pectus, Rectique cupido,
Audita asperitate,

Sil. XI. 205.

nolit laetioribus innectere, vel certe leuiculo penicillo per male locatum spuriae lucis nitorem obducet, et hinc ponere totum nesciet sine fuco nimis florido. §. 704. Peripateticorum in his theoriam denique sequutus a vero Felicitatis colore propius aberit. §. 688.

§. 710.

Catholica, id est, (vt dicamus, quomodo possumus) vniuersalia, vel perpetualia. (Quint. II. 14.) de moribus, virtutibus et vitiis, ex veritate coloris aesthetici satis exacta, §. 552. sibi familiaria reddere pulcre cogitaturus non tantum tenetur, si quando practica dog-

matice tangere mens ſit, §. 707. ſed etiam ideo, quia moratum de ſingularibus, quoque tum ſtrictiſſime veris, tum heterocoſmicis, cogitandi genus illis catholicis et generalibus, veluti notionibus directricibus, vtitur in informandis ſingularium ideis §. 653, 547. Si quis Cynicorum ex diſciplina virtutem ac mores generatim fucis vero auſterioribus adſperſerit, virtutem etiam ſingularem certae perſonae, quam narrabit, vel finget, eam circumſcribet, quae

Sardois videatur amarior herbis,
Horridior ruſco, proiecta vilior alga. Virg. Ecl. VII.

§. 711.

Si quis in Ariſtippi praecepta delapſus eſt, propterea que virtutem et morum inſtitutionem omnem fucis nimium floridis exprimit, §. 704. ex huius officina

Virtutis verae cuſtos rigidusque ſatelles,

in concreto etiam, et indiuiduo ſingulari ſpectandus, §. 710. prodibit comtulus, venuſtulus, delicatulus, purpuram indutus, roſis coronatus, paſtillos olens, vti *bibit Hymettia mella Falerno diluta,*

inter lances menſasque nitentes,
Dum ſtupet inſanis acies fulgoribus, et quum
Acclinis falſis animus meliora recuſat. Hor. Serm. II. 2. 4.

§. 712.

§. 712.

Quemadmodum omnis quidem eruditio, tum practica, tum theoretica, verior ad veriores rebus ad eam pertinentibus, et singularibus, quae sub se continet, inducendos colores multum facit, §. 63-67; tamen nulla facilius fucum vitare dabit ingenio, quod natura mediocriter felix hanc solam imitabitur, quam corrupta praeconceptis opinionibus omnia falso colore tingentibus: § 707-711. sic praesertim artis aestheticae tum verioris magnum adiumentum est ad veros in rebus colores quaerendos, fugiendos fucos, §. 68, 69. tum falsae praecepta plus nocent, quam si prorsus artem eiusmodi nescires, §. 73. quoniam dum ea sequeris, vt tibi videtur, omnino securus, deliberato consilio naturam deseris fucos et pigmenta captans, §. 688, 110. in quae forsan impetu mere naturali non incidisses, §. 52.

§. 713.

In deceptricibus artium aestheticarum, e.g. rhetoricarum, poeticarum, regulis non tanto cum periculo a veris coloribus ad fucos auocabunt omnino falsae, et adeo falsae, etiam aesthetice, vt ne pulcellam quidem aliquam veri speciem habeant, qua se tueantur: quam illae, quae tum magnis auctoritatibus defenduntur, tum in aliquibus locis exercentur commode, peccant autem in

quan-

quantitate, quod logici dicunt, et catholicae cogitantur, quae tamen particulariter tantum verae ſunt. §. 73. Hinc aeſtheticis tantopere diſtinguendae paucae venuſtatum *leges immutabili neceſſitate conſtrictae*, a conſiliis aliquando bonis, *quae, velut ſi aliter fas non ſit, quidam, tanquam iuſſi, ſequuntur*, non raro praepoſtere. Nam *mutantur pleraque praeceptorum cauſſis, temporibus, neceſſitate, occaſione. Nulla rogationibus plebisue ſcitis ſancta ſunt. Decet, vt in picturis atque ſtatuis videmus, variari habitus, vultus, ſtatus. Raro reperitur genus praeceptorum catholicorum, vt non labefactari parte aliqua et ſubrui poſſit.* Quint. II. 14.

§. 714.

Quos regulae nimis laxae nondum ſatis a vero rerum colore deflectunt in fucos, horum multos eo contorquet caeca imitatio. Sentiunt amari probarique, licet *horridulas, Catonis* alicuius *orationes*. Cic. de Or. 152. et ecce! quoties placere volunt, vt ſubito horreſcant! §. 704.

Quid? ſi quis vultu toruo ferus, et pede nudo,
Exiguaeque togae ſimulet textore Catonem,
Virtutemne repraeſentet moresque Catonis?
Decipit exemplar vitiis imitabile. Hor. I. ep. 19. 12.

Sentiunt alii delectari non paucos floribus poeta-

poetarum et Curtii. Hinc tunc demum ſe diſertos putant, quando quibuscunque datis occaſionibus efflorefcendo laſciuiunt. §. 254.

O! imitatores, ſeruum pecus! vt mihi ſaepe
Bilem, ſaepe iocum veſtri mouere tumultus!

§. 715.

Laudabantur olim Atticorum venuſta ingenia. *Quorum genera plura ſunt*, *hi*, caeci imitatores. §. 714. *vnum modo, quale ſit, ſuſpicabantur. Putabant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum ſolum attice dicere. Errabont, quod ſolum*, §. 713. *quod attice, non fallebantur.* §. 694. Cic. or. 28. Interim, quantus eorum cunque fuerit error, non tamen potuit, quin iisdem aliquando fucos nimis horridos pro veris rerum floridarum coloribus commendaret. §. 704, 248, 260. Nunc laudantur ex graecis et romanis auctores ſuo iure claſſici, iam auſteris, iam floridis vſi commodiſſime coloribus. In quorum imitatione quoniam inprimis *conſiderandum eſt, ne quid perturbate, ne quid contorte* cogitetur, Cic. de Inu. l. 29. caeci imitatores, qui ſimile quantulumcumque ſuis deprehendiſſe per ſcripta claſſica ſatagunt, qui poſſent aliter, quam colores confundere, ſicuti iura coqui, contortisque belliſſimis ex Ciceronis alicuius aut omnino Demoſthenis cogitandi rationibus ad alieniſſima fucum facere? §. 688.

§. 716.

§. 716.

Colores floridi *maxime ſenſus noſtros impellunt voluptate, et ſpecie prima acerrime commouent.* Saepe tamen *ab iisdem celerrime faſtidio quodam et ſatietate abalienamur.* §. 693. *Quanto colorum pulcritudine et varietate floridiora ſunt in picturis nouis pleraque, quam in veteribus? Quae tamen, etiamſi primo adſpectu nos ceperunt, diutius non delectant, quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipſo horrido obſoletoque teneamur. Quanto molliores ſunt et delicatiores in cantu flexiones et falſae voculae, quam certae et ſeuerae? quibus tamen non modo auſteri, ſed ſi ſaepius fiunt, multitudo ipſa reclamat.* Cic. de or. III. 98. cf. 99 - 103. et habebis praeclarum in fucos nimis floridos antidoton. §. 704.

§. 717.

Interim pluribus fucus minis floridus eſt ſuſpectus, quam nimis auſterus. Minium his, cinnabaris, indicum et purpuriſſum, facilius fuci iudicantur, quam fucati etiam

peruncti faecibus ora.

Auſteram accuſationem qui parat, ſi vel omnes humanitatis terminos tranſiliat, veritatem odium parientem ſe pingere, non fucum, ſibi videbitur, *auſteram curationem* propinare, non nigrae loliginis ſuccum et meram aeruginem. Auſteritatem vt nimis triſtem effu-

effugiat, vel remouendo floridorum mentionem iniicit Ouidius, Trist. l. 1.

Nec te purpureo velent vaccinia fuco,
Non est conueniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, neque cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.
Felices ornent haec instrumenta libellos,
Fortunae memorem te decet esse meae.

§. 718.

† Pari artificio Apelles excelluit, quod *vnum imitari nemo potuit. Absoluta opera atramento illinebat ita tenui, vt id ipsum repercussu claritates colorum excitaret, custodiretque a puluere et sordibus, ad manum intuenti demum appareret. Sed et tum ratione magna, ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, veluti per lapidem specularem intuentibus e longinquo, et eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occulte daret.* Plin. hist. nat. XXXV. 10. Tantae molis est poetae fucum nimis austerum et tristem, pictori nimis floridum solicite vitare. §. 717. Vereor tamen, ne festiuum illud, quod aiunt, apud Ouidium Trist. l. III. 10. habeat aliquid fucosi lenocinii:

Clauda quod alterno subsidunt carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

\- - - - - -

Adspi-

Adſpicis exſangui chartam pallere colore?
Immo vero, quia non erubeſcunt epiſtolae.

§. 717.

Vitioſum et corruptum cogitandi genus, quod huc vsque fucum appellauimus, §. 688. Quintilianus dicit *caſuris, ſi leuiter excutiantur, floſculis nitens, euaneſcens ac moriens*, vt reliqua vitioſa cogitandi genera, *comparatione meliorum, quemadmodum lana tincta fuco citra purpuras placet, ac, ſi contuleris etiam lacernae, conſpectu melioris obruitur. Si vero iudicium his corruptis acrius adhibeas, vt ſuccinis ſulphura, iam illud, quod feſellerat, exuat mentitum colorem, et quadam vix enarrabili foeditate palleſcat. Luceat igitur haec citra ſolem, et vt quaedam exigua animalia igniculi videntur in tenebris.* XII, 10. Si protraxeris fucatam eiusmodi Venerem ex angulis et vmbra in ſolem et maioris theatri celebritatem, *nec illi*

iam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili. Hor. ep. od. XII.

§. 720.

Pulcre cogitandis *inſidere quidam venuſtatis, non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus debet color*, i. e. per ipſam materiae, cogitantis et obiectorum in perſonalibus praecipuorum naturam determinata lucis aeſtheticae modificatio. §. 688, 622, 623. Cic. de or. III. 199.

III. 199. *Ipsa formae dignitas coloris bonitate tuenda est.* §. 188. Cic. off. l. 1. 30. Hic autem *est quidam sine vllo fuco veritatis color.* §. 423. Cic. de cl. orator. 162. cuius *lineamentis flos pigmentorum* recentium *desit* potius, quam adsit nimius. 298. §. 691. Neque tamen desit naturam sequens variatio, §. 689. quia naturalis color vltra terminos a natura constitutos protractus et vno tenore continuatus tandem non nisi fucus est. Hinc intelligo Quintilianum, qui *Cassio Seuero* tribuit *ingenii plurimum*, *acerbitatem miram, summam vrbanitatem*, tamen in eodem non *grauitatem* solum, sed etiam *colorem orationis* desiderat, quoniam *stomacho et amaris salibus plus, quam consilio, dederit.* X. 1.

§. 721.

Veniamus ad aliquas colorum oppositique coloribus fuci species, exempli gratia. I. A Cicerone desideratur *in externis oratoribus vrbanitate quadam colorata oratio.* Quaesitusque: *Quis est ille tandem vrbanitatis color? Nescio,* inquit, *tantum esse quendam scio. Id tu, Brute, intelliges, quum in Galliam veneris. In vocibus nostrorum oratorum recinit quoddam et resonat vrbanius. Nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in caeteris.* de cl. orat. 170. An hic est color idem illud, nescio quid, quod nunc Galli suis solis quidam tribuunt, externis denegant? Fucum illius similem ostendit Catulli *Suffenus*,

Homo venuſtus, et dicax, et vrbanus,
qui modo ſcurra,
Aut ſi quid hac re tritius, videbatur.

Idem miram fucorum et apertae foeditatis miſcelam exhibet, in poematibus quando
bellus ille et vrbanus
Suffenus, vnus caprimulgus ac foſſor
Rurſus videtur. Tantum abhorret ac mutat.

§. 722.

II. Coniungam, vti coniunctum in Rutilii dicendi genere fuiſſe apud Ciceronem eſt de cl. or. 113. colorem triſtem et ſeuerum, acrem atque vehementem. Primus eſt color luctibus conueniens, non ita reliqui, niſi quibusdam tragicis. Eſt tamen verus quidam *ſeueritatis* color, *non modo non inuidioſus, ſed etiam popularis. Seueritatem* enim lego apud Ciceronem Fam. VIIII. ep. 14. non *veritatem animaduerſionis tum bonis omnibus, tum infimo cuique gratiſſimam.* Eſt verus quidam color ex pudore relucentis acrimoniae, cuius *totum genus excellet* e. g. *in cauſſis, in quibus poteſt inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam incitatione.* Cic. Or. II. 183. Quanquam *dubium non eſt, quin exordium dicendi vehemens et pugnax non ſaepe eſſe debeat.* 317.: Cicero tamen, operum colores qui ſatis norat, *vehementer ſe agere fatetur, iracunde, negat.* Philipp. VIII. 16.

§. 723.

Hos colores mentiuntur fuci e. g. eorum *qui fronte graui et tristi supercilio vtilitatibus fisci contumaciter adsunt, quos nunquam principibus defuisse* putat Plinius Pan. 41. et omnis non iocis tantum ac hilaritati, sed etiam humanitati contraria seueritas in cogitando iudicandoque. Acerbam eiusmodi seueritatem amet vna

Eumenidum intento turba seuera foro.
Prop. IIII. 11.

Veram et fucatam acrimoniam pingit vna Cicero, mores pulcre cogitaturi formans de Or. I. 182. quando: *Haec*, ait, *adiuuant in oratore: lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas. Si quid persequare acrius*, (hic habes verum colorem, §. 722.) *vt inuitus et coactus facere videare. - - - Ea omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt*, (habes fucum pertinacis et acerbi litigiatoris) *valde beneuolentiam conciliant.* Quemadmodum *vehemens* proprie et recte Macrobio VI. 8. *nimio impetu ac vi mentis instructum* significat, M. §. 699: ita *genus* cogitandi *vehemens et atrox* fucum potius, quam verum ac laudabilem colorem, prae se feret, nisi admisceatur eidem *genus lenitatis atque mansuetudinis.* Cic. de or. II. 200.

§. 724.

Hinc *mollienda est in plerisque alio colore*

asperitas orationis. Quint. XI. 1. Vnde colligas et asperum cogitandi genus colorem esse, et genus illud lenitatis atque mansuetudinis, §. 723. quo gnarus aliquis *animorum tractandorum artifex assequatur, vt aliquid eorum quoque caussa videatur facere, contra quos* armatus est. Iungamus luctibus conuenienti colori, §. 722. *necessarium periclitanti solicitudinis colorem*, eumque, quem *sola habet poenitentia, si nulla contingit* iis, qui peccauerant, *excusatio.* l. c.

Adspice, quot submittat humus formosa colores! Prop.

At caue, ne in fucum degenerent vel nimium *trucis atque violenti*, vel effaeminati, cogitandi generis, ne in foedam desperantium trepidationem, aut vilem ac humilem ante factorum exsecrationem ac palinodian.

§. 725.

III. Est SVBMISSVM COGITANDI GENVS, animi viribus ac impetui parcentis propter reuerentiam. Quod quamdiu tantum sibi temperat ab affectanda vbertate, dignitate, exacto veri studio, nitore, ac ornatu, argumentationibus et contentione vehementioribus, quantum vel debita cogitanti, si qua debetur ipsi, reuerentia, vel ea, quam ipse debeat nunc rebus ac personis, de quibus aut contra quas meditatur, nunc futuris suae meditationis spectatoribus praecipuis,

κατη-

κατ' ἦθη, §. 698, poſtulauerit: verum et naturalem colorem ſeruat, §. 622, 623. Neque negliget moratum hoc, §. 226, 227. et aequabile, §. 267. et ſtrictius etiam temperatum cogitandi genus, §. 270. regulam illam apud Ciceronem, Off. I. 90: *Recte videntur praecipere, qui monent, vt, quanto ſuperiores ſimus, tanto nos ſubmiſſius geramus.*

§. 726.

Quam primum autem ſubmiſſum cogitandi genus eo deprimitur, vt vel obliuiſcatur pulcre cogitaturus ſuae dignitatis, vel falſam et ſuperſtitioſam reuerentiam, neſcio quibus, nunc rebus, nunc perſonis exhibens repentdoue ſimulans eadem retrahi ſe patiatur ab illa copia, dignitate, profeſſione veritatis, ornatu, reprehenſione, contentione tandem et impetu animi, quae prae ſe ferre decenter eleganterque potuiſſet: tunc idem *humile, ſubmiſſum, molle, effaeminatum, fractum atque abiectum* cogitandi genus, vti βαθος, §. 217. ita fucus eſt. §. 688, 725.

§. 727.

Hinc Quintilianus, XI. 1. in vitiis numerat *ſummiſſum* cogitandi *genus concitatis in cauſſis*, i. e. quas ſalua decori verioris reuerentia tamen omni animi impetu diligentiaeque neruis, omni cum copia, dignitate, ornatu ac ardore agi non oporteat ſolum, ſed

etiam necesse sit. Ibidem in aliis huc admodum facientibus exemplum adfert *Socratis*, cuius *ad absolutionem profuturum fuisset, si conciliasset oratione submissa*, §. 726. iudicum animos sibi, qui tamen, quoniam *id eum minime decuisset, sic egerit, vt, qui poenam suam honoribus summis esset aestimaturus*. Hic addit: *Quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se iudiciis reseruauit, breui detrimento iam vltimae senectutis aeuum omnium saeculorum consequutus*.

§. 728.

Pergit Quintilianus l. c. Scipionem *Africanum* commemorare, qui *patria cedere, quam cum Tribuno plebis, humillimo homine, de innocentia contendere, maluit*. Tanti putauit heros genus cogitandi male submissum cauere, §. 726. Fontes eius, auctore Quintiliano, sunt, *humiliora illa vitia, submissa adulatio, vilis pudor, in omni negotio neglecta auctoritas, quae fere accidunt his, qui nimium blandi esse volunt*. Adeo grauis submissi cogitandi generis aduersarius, quando fucus est, quaerit tamen: *Quis vero nesciat, quin nonnunquam submittenda sit et contrahenda oratio, ne iudex eam vel intelligere, vel capere non possit?* §. 725. Idem in *Cicerone* laudat, qui ne *in caussa Cluentii* quidem, etsi *mater* huius *palam caput filii impugnabat, oblitus est reuerentiae, quae parentibus debetur*, iubetque *in re minore ac minus*

nus infesta orationem adhuc *leniorem et submissiorem.*

§. 729.

IIII. Est **ERECTVM ET AVDAX COGITANDI GENVS** animi vim ac impetum intendentis propter dignitatem, quo elate cogitatur et dicitur, licet non semper sublimiter, §. 287. In hoc cauendus est fucus arrogantiae. V. Est ludicrum et iocosum, in quo vitetur *affectata scurrilitas, praesertim in parum modestis ac pudicis*, et generatim, *ne nimium ridiculus esse velis.* VI. Est graue, in quo ne qua senilis auctoritas immatura deprehendatur. VII. Est dulce, cuius *decoctam* auerfatur *dulcedinem* Cicero. Sed satis de his. §. 692.

* *

SECTIO XXXXIII.
ARGVMENTA ILLVSTRANTIA.

§. 730.

ARGVMENTA, quorum (vel vnica, vel potior, vel nunc maxime consideranda,) vis est, lucem datae perceptioni affundere, sunt **DECLARANTIA** (explicantia). Dabunt itaque perspicuitatem vel intellectualem, **RESOLVENTIA** (analytica) quale est *definitio,*

propriam cuiusuis rei vim declarans, Cic. de Or. I. 190. vel ſenſitiuam, § 614, 618. nunc abſolutam certe, §. 617, 625, nunc omnino nitorem aliquem exhibent, et a potiori dicuntur ILLVSTRANTIA (pingentia). Cicero, Fam. V. ep. 13. *ſaepius dicendum, et non ſignificandum modo*, quod fieri poteſt obſcurius, *ſed etiam declarandum* iudicat, quod optat Lucceium clare perſpicere.

§. 731.

Iuſtiſſima vitandi fuci cautio, S. XXXXII. ſuadebit in argumentis et figuris pingentibus ac illuſtrantibus §. 730, 26, praeſertim ea tantum ornamenta ſectari, quae praeter illuſtrationem ſimul vbertati, dignitati, veriſimilitudini, reliquisque cogitandorum gratiis, vel ſingulis ſeruiant, vel ſaltim aliquibus, §. 142. quae vero tantum pinxerint, praetereaque nihil ad totius pulcritudinem conferre videantur, parca manu adſpergere, vel ambitioſa recidere, §. 164.

§. 732.

Perceptiones praegnantes, M. §. 517. et complexae, M. §. 530. et ipſae, caetera ſi fuerint paria, magis ſplendent, quam minus complexae, et totius, quam ingrediuntur, meditationis poſſunt argumenta fieri illuſtrantia, §. 730. Hinc minus praegnantibus, minus complexis pulcre praeferuntur, praeſertim quando ipſae adhaeren-

haerentes perceptiones tamen aliquid simul probant, vel mouent, §. 731. Hinc magnum epithetorum bene lectorum artificium. Exemplis abundant pulcra omnia. Virgilii sumamus eclogam in primis eius poematibus primam. Ibi non dicit: Amaryllida *cantas*, sed:

Formosam resonare doces Amaryllida siluas, v. 5.

non dicit:

Haec vrbs multum *alias inter caput extulit vrbes*, sed *tantum*,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Non dicit libertatem sibi venisse *seni*, sed:

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

Non scribit: Nunquam illius obliuiscemur, sed:

Ante leues pascentur in aethere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces:
Ante pererratis amborum finibus exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Tandem non ait: iam vesper adest, sed:

Iam summa procul villarum culmina fumant
Maioresque cadunt altis de montibus vmbrae.

§. 733.

Quoniam HYPOTYPOSIS, viuida ali-

cuius descriptio, non illustrat solum, §. 618, sed etiam probat, §. 550, 551. inter meliora pingentium argumenta merito refertur, §. 731. DIATYPOSIS est hypotyposis ardentior. Hinc diatyposis est in argumentis illustrantium optimis, §. 731, cuius species est CHARACTERISMVS, diatyposis moratior. §. 226. Exempla dabit Lucianus, et Theophrastus, et huius imitator in Gallis princeps.

§. 734.

Vna perceptionum connexarum et coniunctarum, s. sociarum alteram potest declarare, imo etiam illustrare, §. 730, si simul cum hac attendatur viuide, M. §. 516, i. e. comparetur. M. §. 626. Hinc substitutio illius pro hac pulcre cogitanda, vel coniunctio illius cum hac, non sine viuiditate, dabit ARGVMENTVM illustrans A COMPARATIS, quod aliqui dicunt A MEDITATIONE, §. 730, nos dicamus figuram, §. 26, COMPARATIONEM et collationem LATIVS, quae complectitur assimilationem, sed in multa etiam alia argumentorum genera diffunditur, quam quae petantur a simili. e. g.

Tantaene animis caelestibus irae? Aen. I. 15.

et Carthaginis statim sequens illustratio 1) ab aetate 2) ab incolis 3) a situ 4) a diuitiis 5) a studiis belli 6) a fauore Iunonis, v. 16-22. Hinc odium in Aeneam, com-

comparatis cauſſis aliis, v. 23-36. Tandem meditationis epiphonema:

Tantae molis erat Romanam condere gentem.

§. 735.

Sicut in argumentis augentibus augmentum, §. 330, in probantibus aetiologiam, §. 545. figuram vidimus ita principem, vt reliquas ad augendum probandumue pertinentes ſinu ſuo comprehendere videantur ſingulas: ita comparationem latius dictam in figuris illuſtrantibus generalem habeamus et principem, §. 734, ſine qua ne hypotypoſis quidem eſſe poteſt, §. 733. et ad quam, veluti fontem, reliquae tandem altius conſideratae concurrunt. Nam quoniam ex vno ſimili, aequali, congruente, generatim, notabilius eodem, cognoſci, hinc et viuidius cognoſci, illuſtrarique poteſt, §. 730. alterum ſimile, aequale, congruens, et notabilius idem: M. §. 70, 572. comparatio latius dicta ſub ſe comprehendet argumentum illuſtrans 1) a ſimili, aequali, congruente, notabilius eodem, quod figura dicitur a potiori ASSIMILATIO, §. 734. ſi ſimilia, aequalia, congruentia, notabilius eadem coniungantur. Poteſt et eorundem vnum cogitando ſubſtitui pro altero.

§. 736.

Aſſimilatio quo ſimiliora, quo minus inaequalia, quo magis congruentia, et proportionata,

nata, secundum analogi rationis trutinam, inter se comparabit, hoc erit illa pulcrior, §. 735. Praedicata assimilatis l. comparatis communia TERTIVM COMPARATIONIS dicuntur. In diiudicando tertio comparationis quantitatis etiam est quaedam dimensio, §. 314, 315. Argumentum illustrans a simili non potest a sanae mentis homine ideo proferri, vt vnum in comparatis habeatur pro totaliter eodem cum altero, M. §. 269. hinc inter haec detecta quadam differentia perperam omne simile claudicare dicitur. Si in cogitatione A velis illustrare C, hinc assumas B simile τῷ A, in quo idem C belle possis et nitide contemplari, A SVBIECTVM ASSIMILATIONIS per B, TERMINVM ASSIMILATIONIS, simile non claudicans, illustratur, qua tertium comparationis C, etiamsi B possit habere D praedicatum quoddam, quod non est in A. Si vero C illud ipsum tertium comparationis constitutum, cuius gratia omnis peragitur assimilatio, longe se tamen aliter habeat, vel qualitate, vel quantitate, vel vtraque, secundum ipsam analogi rationis trutinam, in B, quam in A, tunc laborare pulcritudinem assimilationis non negauerim, §. 315.

§. 737.

Assimilatorum in tertiis comparationis detecta quantitatis differentia saltim excusationi locum dabit, §. 736, qualis est:

si magna licet componere parvis,
et Ouidii Trist. I. 5. pietatem vxoris suae comparantis cum pietate Liuiae matronali:
Grandia si paruis assimilare licet.
Assimilationis exemplum dabit Ciceronis Hortensius: *Vt ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam: sic litteris talibusque doctrinis ante excoli animus et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari debet.* Idem pro Roscio: *Vt ignis,* inquit, *in aquam coniectus continuo restinguitur et refrigeratur: sic referuens falsum crimen, in purissimam et castissimam vitam collatum, statim concidit et exstinguitur.* Item: *Vt non frugem, neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur.*

§. 738.

Regulam, quae iubet argumentis tantum illustrantibus praeferre simul aliam vtilitatem exhibentia, §. 731. sic illustrat assimilando Quintilianus VIII. 3: *An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia et violas et amoenos fontes scaturientes, quam vbi plena messis aut graues fructu vites erunt? Sterilem platanum, et tonsas myrtos, quam maritam vlmum, et vberes oleas, praeoptauerim? Habeant illa diuites, licet, quid essent, si aliud nihil haberent? - - - Et ego in ordinem et certa inter-*

interualla meas arbores redigam. Quid enim, quaeso, illo quincunce speciosius? quid, in quamcumque partem spectaueris, rectius? Sed protenus in id quoque prodest, vt terrae succum aequaliter trahant. Oleae cacumina in altum exsurgentia ferro coercebo, in orbem formosius fundet, et protenus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cui adstricta ilia, si idem velocior. Pulcer adspectu si athleta est, cuius lacertos exercitatio expressit, idem est certamini paratior. Nunquam vera species ab vtilitate diuiditur.

§. 739.

Assimilationis hoc §. 735. *in genere id est praecipue custodiendum ne id, quod similitudinis gratia adsciuimus, aut obscurum sit, aut ignotum. Debet enim, quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius, eo, quod illuminat. Quare poetis quidem permittamus sane huiusmodi exempla:*

Qualis vbi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, aut Delon maternam inuisit Apollo.

Non idem decebit oratorem, vt occultis aperta demonstret. Quint. l. c. Efferamus legem generalius: Terminus comparationis et illustrationis omnis, hinc et assimilationis, spectatoribus nostris, quos praecipue debemus attendere, sit notior ac viuidior subiecto comparationis, illustrationis, et hinc etiam assimila-

assimilationis, §. 736. Hinc poeta, qualis Virgilius, lectores suos potissimum attendendos per mundum graecae mythologiae poeticum versatissimos qui potuit supponere, recte potest assimilationem instituere, quam habet Quintilianus, sicut et illam Didus in templum venientis, Aen. l. 502:

Qualis in Eurotae ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille sequutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. Illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes.
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido talem se laeta ferebat
Per medios instans operi regnisque futuris.

§. 740.

Orator, populum praesertim auditorem qui tenetur animaduertere, neque mythologum, neque geographum affatim, his assimilationibus abstinet, cum poeta Christianis scribente, §. 600. In bucolicis assimilatio pulcra est:

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur,

licet possit esse lectori, neque ruris, neque botanices perito subobscurus assimilationis terminus, quoniam eiusmodi lectorem non habent

habent obiectum suum personale primarium bucolica.

§. 741.

Illud, de quo dixi, similitudinis genus ornat orationem, facitque sublimem, §. 336. *floridam,* §. 693. *iucundam, mirabilem. Nam quo quaeque longius petita est, hoc plus affert nouitatis atque inexspectata magis est.* Quint. l. c. *Longius petitam* opponit *vulgaribus.* Nihil profecto magis absonum, quam illustrationes tritas ac vulgares propinare pulcra exspectantibus. Quoniam enim, quam primum coeperis, nauseam mouent, et audiendi spectandiue, generatim attendendi fastidium, qui possint intendere claritatem illustraturae, quam tamen exstinguunt et opprimunt? His autem decantatis et tritis a Phoebo, ab Alexandro M. a sole comparationibus nouas potius et inusitatas opponerem, quam longius petitas. LONGIVS PETITVM est ARGVMENTVM, in quo committitur saltus aesthetice illegitimus, cuius elegans scilicet combinatio cum re præsertim cogitanda difficulter est aut prorsus non est obseruabilis analogo rationis præcipuorum, quos attendere debes, spectatorum, ob perceptionum intermediarum, sed omissarum, multitudinem. Argumenta, hinc figurae, illustrationes, comparationes, et similitudines longius petitae, quia circa patulum orbem moran-

morantur, §. 138. rotunditati inimicae, dum hiatum pandunt, §. 166. contra vnitatem aestheticam, §. 439. quoniam terminus et subiectum comparationis adeo distant, vt nulla possit eleganter in iisdem deprehendi inseparabilitas, hinc attentionem distrahunt potius, quam aequabiliter diffundunt, haerere potius et desperare iubent, quam ad ακμην vsque continuare, quamcunque nouitatis speciem mentiantur, cauendae potius et recidendae sunt, quam admirationis gratia captandae.

* *

SECTIO XXXXIIII.

COMPARATIO MAIORIS ET MINORIS.

§. 742.

Comparatio latius dicta, figura princeps illustrantium, §. 735. comprehendit sub se a) comparationem partis cum toto, totius cum partibus, superioris, generum, specierum cum inferioribus generibus, speciebus et indiuiduis, inferioris, indiuidui, speciei, generis cum superiore, specie, vel genere, sub quibus contineatur. Quis enim nescit ex toto partem, ex vngue leonem, ex generibus species et indiuidua, ex Sinone Pelas-

 gos,

gos, ex Graecis homines cognoſci, viuidius etiam, hinc illuſtrari poſſe? §. 730. Quoniam autem totum maius ſuis partibus, et conceptus ſuperior maior ac latior eſt, et plura ſub ſe comprehendens, quam inferior, ſub eodem cum aliis comprehenſus, deſcriptam hanc comparationem eiusmodi conceptuum liceat dicere **COMPARATIONEM MAIORIS AC MINORIS**, ſi ſubiectum comparationis fuerit minus, pars, vel inferior quidam conceptus, **ADSCENDENTEM**, ſi ſubiectum comparationis fuerit maius, totum vel ſuperior quidam conceptus, **DESCENDENTEM.**

§. 743.

Comparatio adſcendens eſt a) ſi partem et varium aliquod certi totius ex eiusdem toto reddamus illuſtrius. Virgilius Georg. I. in primis coloni regulis legit, *praediſcere*

patrios cultusque habitusque locorum,
Et quid quaeque ferat regio, quid quaeque recuſet. 53.

Quoniam de cultu et habitu vnius loci loquitur, quem vnus aliquis *auarus agricola*, v. 46. poſſideat, minutulam telluris partem habet ſubiectum comparationis, quid per huius patrios cultus et habitus praediſcendos intelligat, illuſtraturus terminum comparationis ſibi

ſibi ſumit, huius agri totum, omnem tellurem; per quam vbique

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuae,
Arborei foetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina, 56.

- - - - -

Continuo has leges aeternaque foedera certis
Impoſuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem, 62.

§. 744.

Comparatio adſcendens eſt b) ſi perceptionem aliquam inferius, et magis determinatum ſiſtentem illuſtremus per perceptionem, quae dicti inferioris ſuperius, ac minus determinatum exhibeat. Erit hinc comparatio adſcendens huius indolis illuſtratio α) indiuidui per ſuam ſpeciem vel genus aliquod, ſub quo datum indiuiduum contineatur. Mercurius ipſe Didonem metuendam Aeneae perſuaſurus: comparat cum eadem eius ſexum, veluti genus:

Varium, inquiens, *et mutabile ſemper*
Foemina, Aen. IIII. 569.

β) ſpeciei per ſuum quoddam genus. Species oeconomiae ruſticae, agricultura

curis acuens mortalia corda, Georg. I. 123.

illuſtratur a ſuis generibus:

labor omnia vincit

 Impro-

Improbus et duris vrgens in rebus egestas, 146.

γ) genus per genus suum superius. Genus feminum degenerantium post aliquot annos ibidem illustratur a genere suo tantum non supremo:

Sic omnia fatis

In peius ruere ac retro sublapsa referri? 199.

§. 745.

Hanc comparationem adscendentem in speciem vel genus aliquando dicunt illustrationem a loco communi, nunc a sententia, §. 526. nunc per praedicamentorum 10 loculos quaerere suadent, et spondent inuentumiri. §. 133, 134. Nobis naturali ratione si quid argumentorum eiusmodi se pulcre cogitaturis offerat, eo faciemus idem maioris, quia sic illustrat, vt 1) semper simul probet, §. 547-549. quod elegans est, §. 731. 2) medium heuristicum elegantioris comparationis esse possit, quoties cogitato A indiuiduo, specie, vel genere quodam primo venerit in mentem B, sub quo A contineatur, velut τȣ A superior species, vel genus subalternans. Hoc ipsum autem B deinde secundum associationem idearum notionumue naturalem reproducat perceptiones alias, praeter A, sub se contentas, C, D, E. e. c. vel indiuiduorum sub eadem specie, vel conspecierum cum A sub eodem genere, vel congenerum cum A sub eodem genere superiore contentorum, nunc

vnius,

vnius, nunc plurium. Tunc enim illuſtratio τȣ A per B erit comparatio adſcendens, vnde naſcatur illuſtratio τȣ A per C, vel D, vel E, vnum vel plura, aſſimilatio. §. 735.

§. 746.

Comparatio deſcendens §. 742, erit a) ſi totum aliquod illuſtretur α) vel aliqua eiusdem ex parte, β) vel enumeratione plurium in eodem toto contentarum partium et notarum, quam PARTITIONEM logici vocant. Aeneas illuſtraturus

Inſtar montis, equum,

vt ex partis data magnitudine metiantur ſecum auditores partium reliquarum molem et totius amplitudinem, comparatione deſcendente in vnam partem addit:

ſectaque intexunt abiete coſtas. Aen. II, 16.

§. 747.

Partitio §. 746. vel occultior latet in omni definitione, deſcriptione, et hypotypoſi, cum ſuis ſpeciebus, §. 733. quoniam definiendum deſcribendumue totum omne quarundam notarum et partium illuſtratur inter definiendum et deſcribendum recenſione, qua ſimul argumentum probans nanciſcimur. §. 550, 731. vel apertior et elegantius elaborata peculiaris figurae nomen ſtrictius retinet, donec communi mox indicanda denomina-

 tion-

tione cum alia comparatione descendente, quae sequetur, comprehendatur. Poterit inuolui praeteritionibus et synathroismi quadam congerie, copiae documentum. §. 148. Poterit illi, quod partimur, quaesitam magnitudinem et dignitatem conciliare satis grauium partium ἀπαριθμησις, §. 298, 348. praeter illustrationem §. 731. Quantum analogo rationis decedit intensiuae lucis et distinctionis in singulis notis, et partibus, tanto magis numero partium notarumue gaudet extensiua claritate. §. 730. Vnde primarium pulcrae meditationis obiectum totum aliquod, non temere, si belle cogitare volueris, sine quadam illius partium declaratione dimittatur. Hanc tamen completam explicite ponere ob oculos vix suaserim. Præstat inchoatam nonnihil continuare, neque tamen ante absoluere, quam quasdam eius partes ita in vmbram conieceris, vt videatur spectator adhuc habere, quae sibi ipse tradat, quae latent, forte meliora putaturus et plura, quam si totum partiundo videaris exhausisse. §. 654.

§. 748.

Virgilium euntem per partes clipei, quem Aeneae mater donabat, iam vidimus. §. 459. Catullum c. 63. vbi partitur

Vestem, quae *priscis hominum variata figuris*
Heroum mira virtutes indicat arte, 50.

sequa-

ſequatur, qui volet, a v. 52 - 265, vbi tamen *Talibus* pergens, non *his* indicat ſe partitionem nondum abſoluiſſe, §. 747. Suppartitionem aliquam, vt cum ſchola barbare loquar, excerpamus:

At parte ex alia florens volitabat Jacchus, v. 251.
Cum thiaſo Satyrorum et Niſigenis Silenis,
Te quaerens, Ariadna, tuoque incenſus amore.
Qui tum alacres paſſim limphata mente furebant,
Euoe bacchantes, euoe capita inflectentes. (En totum!)
Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos,
Pars e diuulſo iactabant membra iuuenco,
Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant,
Pars obſcura cauis celebrabant orgia ciſtis,
Orgia, quae fruſtra cupiunt audire profani.
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant.
Multi rauciſonis efflabant cornua bombis. e. c.

Confer Ouidii deſcriptionem regiae ſolis, Met. II. 5 - 18, et Corynnae cum ſuo:

Singula quid referam?

inchoatam potius, quam omnibus partibus abſolutam explicite.

§. 749.

Comparatio deſcendens §. 742. erit b) ſi

ſuperius quoddam, vel genus, vel ſpecies, illuſtretur per inferiora, quae ſub ſe continet, vel vnum, vel plura. In priori caſu erit exemplum, §. 526. in poſteriori diuiſio, quam ad completionem ſaltim vltra dimidium proceſſiſſe ſi aeſthetice veriſimile eſt, INDVCTIO AESTHETICA. DIVISIO 5. enumeratio perceptionum ſub aliqua data contentarum, aeſthetica cum partitione, vel completae vel incompletae, ſi cogitentur elegantius, vt figurae, nomine DISTRIBVTIONIS inſigniuntur. §. 747. Huius igitur indolis comparatio deſcendens illuſtrabit α) genus quoddam ſuperius per inferius, quod ſub ſe contineat, genus, vel ſpeciem, vel indiuiduum, nunc vnum, nunc plura, β) genus infimum per ſuam ſpeciem et indiuiduum, et perceptionem ſub eo contentam vel vnam, vel plures, γ) ſpeciem per indiuiduum, quod illa ſub ſe continet, vel vnum, vel plura.

§. 750.

Exemplorum exempla maiora ſint omnes primo fabulae, §. 526. Aeneis ſplendide declarat:

tot voluere caſus
Inſignem pietate virum, tot adire labores.

Pluribus Ilias exemplis illuſtrat illud:

Si quid delirant reges, plectuntur Achivi.

Lucre-

Lucretius Veneris imperium declarat exemplis primo ſatis generalibus:

Per te quoniam genus omne animantum,
Concipitur, viſitque exortum lumina ſolis
l. 5.

- - - -

Aeriae primum volucres te, diua, tuumque
Significant initum perculſae corda tua vi.
Inde ferae pecudes perſultant pabula laeta,
Et rapidos tranant amnes. Ita capta lepore
Illecebrisque tuis omnis natura animantum
Te ſequitur cupide, quo quamque inducere pergis.

Neque tamen acquieſcere prius potuiſſe videatur, quam donec exemplis imperium Veneris illuſtrando deſcendit vſque ad ſingularem perſonam, et ſuppoſitum Mauortis,

in gremium qui ſaepe tuum ſe
Reiicit aeterno deuinctus vulnere amoris,
Atque ita ſuſpiciens tereti ceruice repoſta
Paſcit amore auidos inhians in te, dea, viſus.
e. c. v. 38.

§. 751.

Idem generalibus ſuis aſſertis:

ſaepius olim
Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta,
v. 84.

Tantum relligio potuit suadere malorum, 103. non species superstitionum innumeras includit exempli gratia, sed vnum aliquod atrox factum,

Aulide quo pacto Triuiai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine foede
Ductores Danaum dilecti, e. c.

Nec Homerus subsistit in enarrandis nauium Troiam petentium aliquibus speciebus singularum in enumerationem descendens. Virgilius sibi non satisfacit generali quadam distributione per Italiam bellum Aeneae parantium:

Ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante.
Pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
Puluerulentus equis furit, omnes arma requirunt.
Pars laeues clipeos et spicula lucida tergent
Aruina pingui, subiguntque in cote secures,
Signaque ferre iuuat sonitusque audire tubabarum. VII. 628.

Sed progreditur descendendo ad singularia. v. 630-817.

§. 752.

Cuius altius rimati sumus rationem, §. 556-565, ex qua deduximus, §. 569, 575, quam genus cogitandi tum simpliciter dilucidum

dum in aeſtheticis, tum ſplendidum inprimis poſtulat §. 625. regulam illam heic, ſuo maximo loco, liceat denuo commendare, generatim et terminis in ſchola receptis expreſſam: Si genus cogitandi logicum et ſcientificum obiecta ſua primaria, ne exceptis ipſis quidem indiuiduis, vbi caetera paria ſint, lubentius in abſtracto conſiderat: pulcre cogitaturus analogo rationis ſuas materias praecipuas non in concreto ſolum, ſed etiam in determinatiſſimis, in quibus poteſt, hinc in ſingularibus, ſuppoſitis, perſonis, factis, quoties datur, lubentiſſime contempletur. M. §. 149.

§. 753.

Hinc comparatio adſcendens non temere penetrabit ſeſe in tota maxima, et ſumma rerum genera, quando ſubiectum comparationis aeque bene non illuſtrari ſolum, ſed etiam probari poteſt comparato toto quodam propiori, ſpecie, vel genere minus remotis, §. 575, 752, quoniam haec ſine ratione tranſiliendo produceres argumentum longius petitum, §. 741. et primariis tuis ſpectatoribus forte minus cognitum eligeres terminum comparationis, ac huius ſubiectum eſt. §. 736, 739. quoniam ſuperiorum generum, totorumque maximorum notitia plerumque ſcientiis in abſtractores conſiderantibus ſolum acquiritur. §. 567. Sic in comparatione adſcendente, quam §. 743. exhibet,

bet. Virgilius non prouocat ad necessariam rerum omnium diuersitatem, M. §. 269-272, quae ne tunc quidem erat incognita, sed in tellure subsistit, eiusque diuersitate fructuum.

§. 754.

Hinc comparatio adscendens commemorato toto vel superiori lubentissime suam facit occasionem ex hoc toto vel vniuersali descendendi denuo in quasdam compartes subiecti comparationis et alia congenera, vel conspecies, §. 745. quoniam sic totum et genus magis in concreto sistitur, §. 752. Abstractis suis quantuliscunque l. c. Virgilius statim subnectit determinatiora, quibuscum, vt ita dicam, possint intra mentem in viuidius quoddam concrescere:

Nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittat ebur, molles sua thura Sabaei,
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?

§. 755.

Hinc §. 752. comparatio descendens partibus in abstracto tantum distinguendis, e. g. per limites mensoria ratione constitutos, notis et characteribus mente sola per intellectum concipiendis, differentiis genericis, vel etiam specificis, quae semper aliquid relinquunt indeterminati, caetera si fuerint paria, praefe-

praeferet partes in concreto ſenſibus ipſis obſeruabiles, quales in agris arcifiniis, notas et charaſteres ſentiendo imaginandoque ſimul probe aſſequendos, differentias generis inferioris, prae differentiis ſuperioris, ſpeciei ſ. ſpecificas prae differentiis genericis, et his omnibus numericas praeferet, ſi pulcre cogitari volet, vt barbare loquar, haecceitatis apprime ſtudioſa. M. §. 517.

§. 756.

Exempla, inductiones, diuiſiones et diſtributiones, §. 749. genus ſuperius illuſtrantes per inferius, ſunt bonae, per ſpecies, ſunt meliores, per indiuidua, ſunt optimae, §. 755. Apud Ouidium habes Metam. III. 206:

Dum dubitat, videre canes.

Horum ſunt genera, ſunt ſpecies, ſed genera negliguntur, ſpecies determinatiſſimae, neque tamen niſi propriis innexae nominibus recenſentur:

primusque Melampus
Ichnobatesque ſagax latratu ſigna dedere,
Gnoſſius Ichnobates, Spartana gente Melampus.

Ad hos poſtquam 35 nominauerat, non ſine differentiis quibusdam numericis, tamen addit:

Quosque referre mora eſt, 225. §. 747.

§. 757.

§. 757.

Vtinam tot antiquorum exemplis, quae ſane non inaduertentibus excidiſſe difficultas idem auſum ſatis docebit, excitari poſſint pulcra ingenia, vt in hac potiſſimum arte quaerant excellere, ſi rationibus minus moueantur. §. 752. Nobis ad alias exemplorum diſtributionumque regulas feſtinandum eſt. Exempla, diuiſiones, inductiones et diſtributiones ſi recte notiora poſtulantur, ac illuſtrandum per easdem ſuperius, §. 739. relatiue ad obiectum pulcre cogitaturo perſonalium primarium legem intellectam tantum admittimus, §. 740. Ouidius bene ſuo voto: Triſt. l. l. 2, 3.

Neue, precor, magni ſubſcribite Caeſaris irae

primo comparationem adſcendentem, quae ſimul color ſit, §. 745, 545. adiungit:

Saepe premente deo fert deus alter opem.

Nunc dictum ſuum illuſtrat exemplorum inductione, quae voti fiunt ſimilia:

Mulciber in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo.
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Aenean propior Saturnia Turno,
Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Saepe ferox cautum petiit Neptunus Vlyſſem,
Eripuit patruo ſaepe Minerua ſuo.
Et nobis aliquod, quamuis diſtamus ab illis, §. 737.
Quid vetat irato numen adeſſe deo? 12.

Suis

Suis enim primariis ſpectatoribus quid rebus Troianis notius erat, et deorum per easdem miniſteriis? §. 740.

§. 758.

Quoniam noua antiquis, loco propiora remotioribus notiora exemplis ſupponi generatim poſſunt, M.§.512. caetera ſi ſint paria, praeferantur antiquis recentia, peregrinis patria, et ſpectatori, quem inprimis optas, domeſtica. §. 757. Dialogus de oratoribus, quem alii Tacito, Quinctiliano quidam tribuunt, 8. *Lubentius*, ait, *nouis et recentibus, quam remotis ac oblitteratis exemplis vtor.* Quae ita ſunt antiqua, ſimul vt obſoleta, oblitterata, vel vſu longo trita et antiquata videri poſſint, pulcre poſtponuntur ita nouis, vt ſimul habeant, quo iuſtum nouitatis ſtudium excitare queant, ac alere. §. 741. Virgilius laudes vitae ruſticae illuſtraturus exemplis non graeca petit, nec Aſiam, nec Aegyptum, ſed romanis potiſſimum ſcribens patrias antiquitates conſulit: Georg. l. II. 532.

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini.
Hanc Remus et frater. Sic fortis Hetruria creuit,
Scilicet, et rerum facta eſt pulcerrima Roma,
Septemque vna ſibi muro circumdedit arces,
- - - -
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

§. 759.

§. 759.

In hac lege probe notandum eſt, adiectum illi: caetera ſi ſint paria. §. 758. In recentibus enim exemplis multae poſſunt eſſe rationes non raro, cur poſtponenda ſint auctori prudenti vetuſtioribus. e. g. 1) ſi recentia vel vere non habeant eximium illud, quod per eadem illuſtrandum eſt, in tanta luce, in quanta vetuſtas habuerat, vel ſaltim ob inuidiam nondum intermortuam et ſolitas acti temporis laudationes aequare priſca ſtatueretur contra veriſimilitudinem, ſaltim eam, de qua §. 486. Hinc eſt apud Virgilium loco citato ſatis altum ſilentium de agricultura italica ſui temporis, ſimul autem conſilium, vt in tali caſu domeſtica tamen, licet olim facta, praeferantur, ſi poteſt fieri, vetuſtis et peregrinis ſimul. Tempore praeſentia beatae vitae ruſticae exempla prolaturus, in ecſtaſi philoſophicopoetica, v. 475 - 485. quoniam aulae proxima non poteſt optare, tamen optat minus remota:

Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes
Flumina amem ſiluasque inglorius. O! vbi campi,
Sperchiusque et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o! qui me gelidis in montibus Haemi,
Siſtat, et ingenti ramorum protegat vmbra!
489.

§. 760.

§. 760.

Exempla recentia ſunt aliquando 2) periculoſa, quorum veritas odium parit, et calumnia potius et conſpurcatio nominum illuſtriſſimorum falſiſſima diceretur, quam illuſtratio.

Ceruius iratus leges minitatur et vrnam,
Canidia Albuci, quibus eſt inimica, venenum,
Grande malum Turius, ſi quid ſe iudice certes. Hor. Sat. l. 1. 49.

Nec hic ſemper licet ad artificium Virgilii recurrere, §. 759. et in mortuos quidem, ſed ciues tamen et loco propiores ſcribere vel acriter, at venuſtius, iraſci,

maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Hanc ob cauſſam in legendis exemplis ſuis aliquando ſatyricos vltra Sauromatas fugere libet, in mundum poeticum, §. 513. in quo tamen fictiones prorſus ignotas denuo, §. 518. analogicis poſtponunt. §. 516.

§. 761.

Exempla recentia et domeſtica ſunt 3) ſatis nonunquam incognita, etiam relatiue, §. 757. quoties ſcilicet, vel eius ſunt indolis, quam non niſi longa dies plurium ob oculos ponere ſoleat, e. g. praeſentia principum conſilia, vel ipſi ſpectatorum noſtrorum pri-

marii domestica negligere solent exterorum auidissimi, vel recentia et ante pedes posita fastidire, toti in eruendis quibusuis antiquissimis. Quanquam enim hic mos non est optimi saporis, tamen obiectum suum personale debet attendere pulcre cogitaturus, vti est, non vti debeat esse, hinc anticipationibus destitutum et cognoscendi studio, si domestica protuleris et

Antiquis non exaudita Cethegis, §. 484.

§. 762.

Exempla, diuisiones, inductiones, distributionesque sic satis notae sint, neque tritae ac vsitatae illustrationes §. 741. nec e contrario adeo viuidae, vt fortiori luce perceptionem suam superiorem obscurent potius, quam illustrent, contra pulcram lucis et vmbrae dispensationem. §. 682. In vltima lege praesertim cauendum est, ne differentia, et id in conceptu inferiori, quod non est determinatum in superiori, tantum lucis accipiat, vt tertia comparationis, et ea. quae superiori conuenientia viuidius in concreto inferioris pingere laborabas, obumbrentur, adeoque minus exemplum quadrare videatur, ac discrepare ab eo, cuius declarandi gratia proferebatur. §. 670. Non dissuadeo differentiam tangere, sed vmbra sit exempli, §. 684. non lumen, §. 686. Ne seducente sub eruditionis specie transcendant horizontem

tem aestheticum exempla, multo minus inductiones et distributiones, §. 121. ne illustrando vel βαθος, vel tumorem concilient, §. 329, 331. sint potius, quantum eius fieri potest, ex quibus simul exemplum ratiocinans et inductio persuasoria formari possit, et practica s. pragmatica, foecunda deducendis inde porismatibus ad agendum impellentibus, §. 731.

* *

SECTIO XXXXV.
ANTITHESIS.

§. 763.

Comparatio latius dicta, §. 735. sub se continet 3) comparationem oppositorum M. §. 549. quae figura §. 26. sit ANTITHESIS. In antithesibus numero primam dissimilitudinem, illustrandum cum dissimili comparantem, vt illius ab hoc differentia magis elucescat. Cat. 5.

Soles occidere et redire possunt,
Nobis quum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetuo vna dormienda.

Hac collatione totam suam odam l. l. 1. Horatius illustrauit, et eiusdem libri frontem odae 7.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum bimarisue Corinthi
Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe. 4-10.

§. 764.

Deinde huc pertinet antisagoge, quam compensationem dicunt, confessionis species, quae collustrandi quaedam praedicata, quae primario videantur contraria, sic in vmbram locat, iuxta hoc primarium, vt eorum perceptiones heterogeneae, sed debiliores, praegressae subito sequens heterogeneum, sed maius ac illustrius, splendide pingant, et nouitatis luce veluti circumfundant. §. 659, 683. M. §. 549. Jarbas apud Virgilium, Aen. IIII. furtiuos Didonis et Aeneae amores primum satis honorifice videtur describere, tegens honestatis vmbra, quicquid in iis indignum et turpe iudicabat: *Dido*
dominum Aenean in regna recepit, 214.
vt non ita multo post hoc acerbius in eundem Aenean, collectis quasi viribus, inuehatur:

Et nunc ille Paris, cum semiuiro comitatu,
Moeonia mentum mitra, crinemque madentem
Suffultus, rapto potitur. 217.

§. 765.

Antisagogen si continuaueris, pulcrum inde

inde nascetur CRAMA, quod mistam vituperio laudem dicunt, vere est congeries praedicatorum, apparenter saltim contrariorum, quorum vna classis, mala, bona censeatur altera, sic tamen dispositorum, per artificium lucem et vmbram bene dispensans, S. XXXX. vt secundum intentionem callide bona malis miscentium, vel haec ex oppositorum pulcritudine turpitudinis, vel illa ex oppositorum foeditate pulcritudinis incrementa nanciscantur, magnaque veracitatis, moralis veritatis, similitudo simul obtineatur. §. 731, 435. Quantum materia permisit, laborat in effingenda hac figura Nasonis Trist. II. omnis paene prima elegia, culpam auctoris concedens ad illustriorem Caesaris veniam eo efficacius solicitandam, e. g.

Cur modo damnatas repeto, mea crimina, Musas?
An semel est poenam commeruisse parum? 4.
\- - - - -
Deme mihi studium, vitae quoque crimina demes.
Acceptum refero versibus, esse nocens. 10.
Ira *quidem iusta est, nec me meruisse negabo.*
Non adeo nostro fugit ab ore pudor. 30.
\- - - - -
Sed tamen, vt fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore deus.

 Et

Et pia thura dedi pro te, cumque omnibus vnus
Ipse quoque adiuui publica vota meis.

§. 766.

Non est, cur antithesin et antitheton, vel antitheta distinguere velimus, quoties antitheta comparantur elegantius, quod tunc plerumque fit, si fiat *sine industria*, naturalique quadam *necessitate*, sic fieri debere videatur. Cic. or. 166. Alias si studiosius quaesita lucernam olent, fucus erunt, inanius argutantium, §. 688. M. § 576. in quem vere Persius et grauiter;

Nonne pudet capiti non posse pericula cano
Pellere, quin lepidum hoc optes audire: decenter?
Fur es, ais Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis. Doctas posuisse figuras
Laudatur, bellum hoc! Hoc bellum? I. 83. §. 677.

Hoc genere antiqui iam ante Isocratem delectabantur, et maxime Gorgias. Cic. or. 167. Antithetis delectabantur, sed non male locatis, non anxie corrasis, non recoctis sexcenties, quorum cautus imitator esto, non simia. §. 714.

§. 767.

Quod si quis parce et quum res poscet, vtetur, velut adsperso quodam condimento, iucundior erit. At, qui nimium affectauerit, ipsam illam gratiam varietatis amittet. Quemadmodum illustrantes omnes figurae, sic antitheses *secretae et extra vulgarem vsum positae, ideoque magis nobiles, vt nouitate aurem excitant, ita copia satiant, nec se obuias fuisse dicenti, sed conquisitas, et ex omnibus latebris extractas congestasque declarant.* Quint. VIIII. 3. Fabius hoc ipso capite mentionem etiam antitheti iniicit, quod *contrapositum* dicit, et ab aliis nominari *contentionem.* De quo praesertim verum est eius, quod iam legimus, iudicium, et tunc maxime, quando simul idem figura quaedam dictionis comitatur vocabulorum vel similitudine, vel repetitione, vel transpositione. §. 26.

§. 768.

Nam et hic locum habet, quod iam §. 145. monuimus, schema vocabulorum et habitum vel situm extraordinarium, si figuris vtaris mascule, nonnunquam accessorium tantum esse, ac veluti fortuitum in figuris, quae non ideo contemnendae sunt, quia sint figurae dictionis, sed ideo, quia cogitationibns ipsis et praecipuam quidem elegantiam conciliant, non fuissent in figuris dictionis habendae. Sic non pauci totam ad figuras dictionis re-

ferunt antithesin, quasi vero vocabulorum esset praecipua, non significatuum oppositio. Aliis quaedam saltim antitheseos species in meris dictionum figuris collocantur a non minus iniquis elegantiarum arbitris, §. 13. Proferam exempla.

§. 769.

Antitheton cum aliqua perceptionum occurrentium in vtroque oppositorum conuersione, s. ANTIMETABOLE, sane ideo non potest excludi ex figuris sententiae, §. 763. quoniam inter eloquendum potest contingere, vt vocabula, quibus vtrumque membrum oppositionis exprimitur, aliquam etiam conuersionem subeant. In figuris autem dictionis ipse Quintilianus habet *illam figuram, qua verba declinata repetuntur: Non, vt edam, viuo, sed, vt viuam, edo.* Bella, profecto, non tam dictio, quam sententia Epicuri est, quam vere dicas philosopham: Esse sapienter infortunatum satius est, quam fortunatum insipienter esse. Huc, qua materiam etiam dictum Simonidis, quod est apud Plutarchum: Poesis est pictura loquens, et pictura est tacita poesis. Huc illud Saluiani de Bagoardis: *Malunt sub specie captiuitatis esse liberi, quam sub specie libertatis esse captiui.* Huc tandem dictum Catonis et post eum Musonii: *Si quid per laborem recte feceris, laborabit, recte factum tecum permanet, si quid turpiter*

piter feceris cum voluptate, turpe manet, voluptas perit. Gell. XVI, 1.

§. 770.

Collatio pulcre cogitandi cum diuersis ab eodem, quibuscum facile confundi posset, ad illustrandam eius differentiam, s. PARADIASTOLE, et contradistinctio, est antithesis non vocabulorum tantum perperam habitorum in synonymis, sed etiam, et maxime quidem, significatuum, vere differentium, quorum tamen attendi plerumque non solet, hinc eleganter indicatur aliquando, si momentum habet, diuersitas. §. 768. *Contentioni* §. 767. *commodissime subiicitur et illa species, quam distinctionem diximus.* Quint. l. c. Ouidius de edicto, quo Tomos adire iubebatur:

Quippe relegatus, non exsul, dicor in illo,
Parçaque fortunae sunt data verba meae.
Trist. II. 1. 137.

Nec semper, quod aduersum est, contraponitur. Quint. l. c. Non opus est ad antithesin, vt vera adsit oppositio, quam logici contradictionem vere talem dicimus, sufficit, ut apparens contradictio, vt contrarietas, subcontrarietas adsit, et quicquid, vel aesthetice, primo saltim obtutu pugnare frontibus aduersis sit verisimile. In dictis: Homo potuit non mori, potuit mori, nunc non potest non mori naturaliter, sed instat tempus, quo non poterit mori,

 contra-

contradictionis nihil est, elegantius tamen exornata dare possent antithesin. §. 763.

§. 771.

Quo vero iam nomine commendem oxymoron? Ennii: *mentes dementes*, Terentii: *cum ratione insanire*, et: *id aliquid nihil est*, Ciceronis: *dum tacent, clamant*, Virgilii:

Num capti potuere capi?

Horatii, sed et heic iocati:

Insanientis dum sapientiae
Consultus erro.

Ouidii *iniusta iusta et:*

His, vt quaeque pia est, hortatibus impia prima est,
Et, ne sit scelerata, facit scelus,

quod miserrimum est fatum errantis conscientiae,

Impietate pia est.

illud multorum: *male olent, qui semper bene olent*, haec, inquam omnia, quantis auctoritatibus bellam figuram, si taceo, clamant? Interim ingenue fateor, in omnibus figuris sententiae quae mihi minime placeat, hanc esse. Caussam puto frigidissimum abusum eiusdem, et trita exempla, tritissimorumque parodias magis inficetas, quibus circumsonant, qui nesciunt

nesciunt acumen aliud, quam parodoxis huius surfuris foecundum.

§. 772.

Simpliciorem ad antithesin liceat relabi, quam sub dissimilitudine, §. 763. complecti solent, vere tamen inaequalitatem potius dicere deberemus, quando conuenientia inter se in aliquo tertio, ideo comparantur, vt eorum illustretur inaequalitas, aut, hac concessa, declaretur illud minus esse, quod obiecto meo personali videbatur maius, vel vice versa. Talem antithesin Romuli et Augusti Ouidius habet, ad hunc illi praeferendum. Fast. l. II.

Romule, concedas. Facit hic tua magna tuendo
Moenia, tu dederas transilienda Remo.
Te Tatius, paruique Cures, Caeninaque sensit.
Hoc duce romanum est solis vtrumque latus,
Tu breue, nescio quid, victae telluris habebas.
Quodcunque est alto sub Joue, Caesar habet.
Tu rapis, hic castas duce se iubet esse maritas;
Tu recipis luco, submouet ille nefas.
Vis tibi grata fuit, florent sub Caesare leges.
Tu domini nomen, principis ille tenet.
Te Remus incusat, veniam dedit hostibus ille.
Caelestem fecit te pater, ille patrem. 144.

Sic Cicero iuris et armorum peritum inter se comparat, vt huius illustret excellentiam.

SECTIO

SECTIO XXXXVI.
COMPARATIO STRICTIVS DICTA.

§. 773.

Comparatio latius dicta, §. 734. cum illustrando conferens, ideam quamcunque sociam, coniunctam et connexam, quae neque simile, §. 735. nec pars, nec totum, nec illius superius, nec inferius, S. XXXXIIII. nec oppositum sit, S. XXXXV. quoniam peculiare nomen non accepit, generale retineat 4) COMPARATIO STRICTIVS DICTA. Jam hinc patet iniri numerum huc pertinentium illustrationum non posse, nec diuersis insigniri quamlibet denominationibus. Satius est apertos seruari quosdam carceres, quibus includi queant promotura rem venustae meditationis, in occlusos iam et limitibus suis circumscriptos locos non intromittenda. Huc ergo refer exempli gratia comparationem a) caussatorum cum caussis, quas schola dicit externas, efficientibus et finalibus. Internas enim materiam et formam comparatio maioris ac minoris sibi vindicauerit, §. 742.

§. 774.

Habes hinc illustrationem *α*) effectus a caussa efficiente.

Pocula,

Pocula, caelatum diuini opus Alcimedontis.
Virg. ecl. 3. 37.

β) caussae efficientis ab effectu:

Conon, et quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curuus arator haberet? v. 42.

γ) medii a fine:

Daphnidis arcum
Fregisti et calamos, quae tu, peruerse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas,
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
v. 15.

δ) finis a medio:

Parta meae Veneri sunt munera. Namque notaui
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.
M. Quod potui, puero siluestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi, cras altera mittam. 71.

En! tibi pastores, qui
Felices poterant *rerum cognoscere caussas!*

§. 775.

Comparatio strictius dicta est b) signi et signati, §. 773. Vnde illustratio α) signi ex signato. Signa mortem Caesaris portendentia descripserat Virgilius Georg. l. 464-488.

et illuſtrat ex ſignato, ſecundum veriſimilitudinem aeſtheticam,

Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi,
Nec fuit indignum ſuperis, bis ſanguine noſtro
Emathiam et latos Aemi pingueſcere campos,
e. c. 492.

Addit ſtatim illuſtrationem poeta huius β) ſignati ex ſigno iam rememoratiuo ſ. mnemonico, tunc futuro:

Scilicet et tempus veniet, quum finibus illis
Agricola, incuruo terram molitus aratro,
Exeſa inueniet ſcabra rubigine pila,
Aut grauibus raſtris galeas pulſabit inanes
Grandiaque effoſſis mirabitur oſſa ſepulcris.
497.

§. 776.

Comparatio ſtrictius dicta e. g. c) animarum affectiones vel mutationes illuſtraturis ſuggerit ideas ſocias membrorum corporis, quae quoniam affectionibus datis, inter mutationes eiusmodi praeſertim affici propiusque tangi veriſimile eſt, veluti ſedes horum in anima variorum conſiderantur. Sic ingenium illuſtratur capite et cerebro, ſenſationes externae organis ſenſoriis, appetitiones corde, inferiores iecinore, pudor fronte ac ore e. c. illuſtrantur. §. 773, 752.

Iſtis,

Istis, qui linguam auium intelligunt,
Plusque ex alieno iecore sapiunt, quam suo,
Magis audiendum, quam auscultandum, censeo.
Pac. ap. Cic. de diu. l. e. c.

Pudorem
Ferreo canis exprimamus ore. Cat.

vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam
Quanto deuites animi capitisque labore?
Hor. ep. I. 44.

§. 777.

Porro comparatio stricte dicta d) euentum factumque, singulare quoduis, illustrat a loco et tempore, per ideas socias eodem loco, eodem tempore perceptorum. §. 773, 752.

O! ciues! ciues! quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos: haec Janus summus ab imo
Prodocet: haec recinunt iuuenes dictata, senesque,
Laeuo suspensi loculos tabulasque lacerto. 55.

Soluitur acris hiems grata vice veris et Fauoni,
Trahuntque siccas machinae carinas.
Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni,

Nec

Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente luna,
Junctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum grauis Cyclopum
Vulcanus ardens vrget (visit) officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt solutae.
od. I. 4.

§. 778.

Comparatio stricte dicta e) rem et personam, quae in alicuius potestate est, eumque confert, qui illius dominus, dux, imperans est, vel possessor. Vnde illustratio α) rei a possessore, domino, deo, qua ratione describit Virgilius Aeoliam

Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere fraenat.
Aen. I. 58.

β) personae a superiore, duce, principe, rege, cui subiicitur. Ventos in personas mutarat Virgilius, hinc illustrantur per suum regem:

celsa sedet Aeolus arce

Sceptra

Sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras.

a Ioue datus,

qui foedere certo

Et premere et laxas sciret dare iussus habenas, 67.

§. 779.

Comparatio possessoris et possessi dat illustrationem γ) possessoris a re possessa:

Non illi imperium pelagi, saeuumque tridentem

Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,

Vestras, Eure, domos. Illa se iactet in aula

Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet. 145.

δ) ducis, principis, imperantis, dei a subditis et personis, in illius potestate constitutis. §. 778. Horatius ad Augustum:

Praesenti tibi maturos largimur honores,

Iurandasque tuum per numen ponimus aras,

Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.

Sed tuus hoc populus sapiens et iustus in vno,

Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,

Caetera nequaquam simili ratione modoque

Aestumat. ep. II. 1. 20.

L l SECTIO

SECTIO XXXXVII.
TROPI.

§. 780.

TROPVM hic non attendo tantum, quatenus *eſt verbi vel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio*, Quint. VIII. 6. multo minus, quem neceſſitas et linguae paupertas neceſſarium facit, quoties ſignificandum eſt, cuius non eſt in data lingua proprium vocabulum, minime, quem ignorantia proprietatis in loquendo procudit: ſed omnem elegantem perceptionis vnius pro altera ſubſtitutionem, ſiue vocabulis translatis ſignificetur, quod notiſſimum, ſiue ſonis ſibi inuicem ſubſtitutis a muſico, ſiue coloribus a pictore, ſiue per aliud quodcunque ſignorum genus eleganter te pro vno aliud cogitaſſe exprimas.

§. 781.

Venuſtam intueamur troporum geneſin, et pulueris exigui iactu componi poteſt *inexplicabilis*, quam Fabius praefatur l. c. niſi *grammaticorum inter ipſos, philoſophorum* certe *pugna circa tropum, quae ſint genera, quae ſpecies, qui numerus, quis cuique ſubiiciatur?* An ſit figura e. c. In certo pulcrae tuae medi-

meditationis loco viuiditas postulet comparationem aliquam, §. 734. quam tamen ibidem diductam, amplam et copiosam, explicite cogitantis 1) subiectum 2) terminum comparationis, §. 736, non admittat rotunda breuitas, §. 166: habebis locum excipiendi, §. 24. Exceptio, qua sic satisfiat viuiditati, ne quid inde detrimenti capiat rotunda breuitas, erit possibilium minima, §. 24, sane non inelegans, §. 25. Quod si iam omittas, nec explicite cogites, nec peculiari termino significes, subiectum comparationis, sed eidem substituas, eiusdemque loco solum explicite cogites, solum significes terminum comparationis, auditori spectatoriue relinquens, vt inde tacitus ille secum euoluat subiectum comparationis, ita satisfecisti viuiditati comparationem poscenti, ne quid inde detrimenti ceperit rotunda breuitas, quoniam seriem explicite cogitatorum ne vno quidem auxisti signo vel verbulo. Vnde nascitur substitutio termini comparationis pro subiecto eiusdem non inelegans, tropus, §. 780.

§. 782.

Quae sunt ergo troporum genera? quae species? Eaedem, quae comparationis latius dictae. §. 734-779. Qui numerus? innumerabilis. Quis cuique subiicitur? Qui non est METAPHORA, contracta assimilatio,

§. 735-741, nec SYNECDOCHE, contracta comparatio maioris et minoris, S. XXXXIIII. nec IRONIA, contracta antithesis, S. XXXXV. erit ille sane METONYMIA, contracta comparatio strictius dicta, S. XXXXVI. quemadmodum eruditus, qui nec theologus, nec iureconsultus, nec medicus nominatur, eo ipso philosophicum in ordinem amandatur per academias.

§. 783.

An figurae tropi sunt, an tropi figurae? *Plerique has tropos esse existimauerunt - - - Vsus est idem. Nam et vim rebus adiiciunt*, M. §. 515, *et gratiam praestant*, §. 780, 26. *Nec desunt, qui tropis figurae nomen imponant, quorum est C. Artorius Proculus. Quin adeo similitudo manifesta, vt eam discernere non sit in promtu - - - Haec scio, quam multiplicem habeant, quamque scrupulosam disputationem. - - - Haec de quibus loquimur, siue tropi, siue figurae dicentur, idem efficient. - - - Illud tamen notandum, coire frequenter in easdem sententias, et tropon, et figuram. Tam enim translatis, quam propriis figuratur oratio. Est autem non mediocris inter auctores dissensio, et quae vis nominis eius, et quot genera, et quam multae sint species.* Quint. VIIII. I.

Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est. Hor.

§. 784.

Philoſopho nodus in ſcirpo quaeri videatur. §. 781. Non omnes figurae tropi ſunt, §. 26, 780. Rectius autem bonus ille Proculus, ſi tropon ex notione Quintiliani paullisper extenſa ſumas, §. 780, nec eo neceſſarias quascunque, multo minus inficetas ignorantium linguam, quam loquuntur, translationes referas. Omnis tropus, quem definiui, eſt FIGVRA, ſed CRYPTICA, cuius genuina forma non ſtatim apparet, quoniam eſt figura contracta per ſubſtitutionem §. 782.

§. 785.

Logici ſcholaſticorum docent PROPOSITIONEM EXPONIBILEM, ex affirmanti et negante cryptice compoſitam, quales excluſiuae, exceptiuae, reſtrictiuae, e. c. Niſi vererer latinis incommodus eſſe auribus, tropos figuras dicerem exponibiles. Quemadmodum enim barbaram propoſitionibus denominationem dedit ſchola, quoniam expoſitione indigent, vt appareat genuina vtriusque partis forma, ex quibus coaluerunt; ſic tropus, vt grammaticis etiam, qui non ſunt philoſophi, figura appareat, expoſitione indiget. Si ex termino comparationis, qui ſolus in tropo cogitatur explicite, ſignificatus proprius, eruas omiſſum ſubiectum comparationis, ſignificatum impro-

 prium,

prium, et hoc, neglecto breuitatis amore, explicite manifestoque penes terminum comparationis cogites, et vtrumque te cogitare peculiaribus cuiuis terminis et signis declares, **TROPVS EXPONITVR.**

§. 786.

Metaphoram exponens habebis manifestam assimilationem, §. 735. Synecdochen exponens videbis comparationem maioris et minoris. Est ergo vel **ADSCENDENS SYNECDOCHE**, vel **DESCENDENS**, §. 742. Expone ironiam: habebis antithesin, §. 763. Metonymia denique resoluetur in aliquam comparationem strictius dictam. §. 773, 782. Quicquid itaque de figuris commemoratis huc vsque dictum est. §. 730-779. illud vt de tropis, earum crypsesi, repetamus, non est necesse.

§. 787.

In totum metaphora breuior est similitudine, (assimilatione manifesta et explicita, §. 735.) §. 781, 782. *quod illa comparatur* (explicite) *rei, quam volumus exprimere* (subiecto comparationis) *haec pro ipsa re dicitur. Comparatio est*, (et quidem manifesta assimilatio) *fecisse quid hominem, vt leonem. Translatio est, quum dico de homine leo est.* (et quidem metaphora) Quint. VIII. 6. Sed est etiam audacior metaphora, quam comparatio, hinc ausi homi-

hominem cum leone comparare, saporis eruditi homines non audent temere leonem eundem dicere, §. 313. Non tango species metaphorae, quoniam *iam non pueris praecipimus, vt, accepto genere, species intelligere non possint.* ib. Caueantur 1) quarum *frequens vsus et obscurat, et taedio complet*, §. 731. 2) *humiles, sordidae, deformes*, §. 736, 762. 3) *nimio maiores aut, quod saepius accidit, minores*, §. 737, vnde tumor vel βαθος. 4) *dissimiles*, quarum ipsum comparationis tertium notabiliter differt in termino et subiecto assimilationis, §. 736. 5) *durae, i. e. a longinqua similitudine ductae*, §. 741. *Metaphora*, sicut omnis tropus, §. 781. *si in alienum locum venit, debet plus valere*, §. 26, *eo, quod expellit.* Quint. ib.

§. 788.

Expositionis §. 786. et diiudicationis §. 787. ad exercitium haec exempla sunto:

Homo homini deus est, si suum officium sciat. Caecil.

Egomet credidi
Homini docto mandare, id lapidi mando maximo. Plaut.

Te quia rugae
Turpant, et capitis niues. Hor.

Aut porcus Vmber, aut obesus Etruscus.

Nec vllius natantis impetum trabis.
Nequisse praeterire, sine palmulis
Opus foret volare, sine linteo.
Ille, post phaselus, antea fuit
Comata silua. Nam Cytherio in iugo
Loquente saepe sibilum edidit coma. Cat.

§. 789.

Synecdoche adscendens §. 786, erit elegans substitutio 1) totius pro parte, §. 780, 743. Plautus *vlmorum Acheronta* per iocum dicit seruum vlmeis saepe virgis vapulantem.

Seruiet aeternum, qui paruo nesciet vti. Hor.

Vel ipsa scilicet aeuiternitas pars tantum aeternitatis est. Virgilius aliquando *elephantum* pro ebore, dente elephanti, ponit. §. 753. 2) superioris pro inferiori, §. 744. Huc ευφημισμοι, quibus ad mortem pertinentia circumscribebant huius non lubenter memores; *si quid illi grauius acciderit, etc.* pro consolatione lugentium,

Paullum quidlibet alloquutionis
Moestius lacrumis Simonideis. Cat.

quibus Venerea solebant obumbrare.

Tibi vltro supplicatum aduenio ob stultitiam meam. Plaut.

(stuprum illatum filiae)

§. 790.

§. 790.

Synecdoche descendens, §. 786. est venusta substitutio 1) partis pro toto: §. 746.

Plotius et Varius Sinuessae, Vi giliusque
Occurrunt, animae, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit deuinctior alter.
Hor. I. sat. V.

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni. Mart. IIII. ep. 14.

(poema de passere pro toto libro, quo continetur.) 2) inferioris pro superiori perceptione, §. 749.

Nullo fata loco possis excludere, quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.
Mart. 60.

Illud pro saluberrimo, haec pro loco, qui pestilens habebatur, est posita.

§. 791.

Ironicam Ciceronis illusionem habet C. *Verres, praetor vrbanus, homo sanctus et diligens*, et illud in Clodium: *Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, vita ante acta seruauit.* Nec irrisione caret, vti Fabius recte notat, initium orationis pro Ligario: *Nouum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem inauditum.*

Insere nunc, Meliboee, pyros, pone ordine vites!

\- - - -

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Exagitat! Virg.

§. 792.

Metonymia erit venusta substitutio, §. 782. 1) efficientis caussae pro effectu:

Rarae sine Mentore mensae. Juu. VIII.

2) effectus pro caussa:

Pallentes habitant morbi, tristisque senectus. Virg.

Donec virenti canities abest. Hor. l. 9.

Senectutis effectus est canities. 3) medii pro fine:

Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Jola! Virg.

4) finis pro medio. §. 774.

Meritos aris mactauit honores. Virg.

§. 793.

5) Signi pro signato:

Dum pueris omnis pater et matercula pallet, Hor.

Pallor signum timoris est. 6) Signati pro signo. §. 775.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tunc,

Quum

Quum foetura gregem suppleuerit, aureus esto.
Virg.

7) Phaenomenorum in corpore pro simultaneis eorum in anima contingere solitis, §. 776.

O! te, Bollane, cerebri
Felicem!
O! ego laeuus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Hor.

8) affectionum animae pro correspondente cum iisdem corporis statu:

Si mihi nan animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit,
- - - -
Huic vni forsan potui succumbere. culpae.
Aen. IV. 19.

§. 794.

9) Loci vel aetatis, temporis, horae, continentis pro re vel persona isto loco, vel tempore contenta. §. 777.

Quinque adeo magnae, positis incudibus, vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique et turrigerae Antennae. Aen. VII. 630.

Adspice venturo laetentur vt omnia saeclo!
Ecl. IIII. 52.

10) Con-

10) Contenti in tempore locoue pro tempore et loco:

Nunc etiam pecudes vmbras et frigora captant,
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos,
Theſtylis et rapido feſſis meſſoribus aeſtu
Allia ſerpillumque herbas contundit olentes.
Ecl. II. 10.

Te campo quaeſiuimus in minore
Te in circo, te in omnibus libellis. Cat.

(pro tabernis librariis.)

§. 795.

11) Dei, domini, ducis, imperantis pro re poſſeſſa vel perſona, quae in eius eſt poteſtate: *Sine Cerere et Baccho friget Venus.*

Jam proximus ardet
Vcalegon. Virg.

Vbi is homo eſt?
Jam deuorandum cenſes, ſi conſpexeris?
Dum datur, dum calet, deuorari decet. Plaut.

Confer, §. 141. ſis, Catulli locum citatum. 12) rei, vel perſonae, quae alicui, tanquam poſſeſſori, vel imperanti, competunt, pro hoc homine, poſſeſſore vel imperante. §. 778.

Cedant arma togae. Cic.

Flerunt Rhodopeiae arces.
Altaque Pangaea, et Rheſi Mauortia tellus.
Georg. IV. 461.

Ille

Ille ſeu Parthos Latio imminentes
Egerit iuſto domitos triumpho, Hor. I. od. 12.

§. 796.

Quam metalepſin antecedentis pro conſequente dicunt, et conſequentis pro antecedente, quamque ſuo iure ac merito comitatur metalepſis concomitantium, quando ſimultaneorum vnum ponitur pro altero: eſt ea metonymia, §. 782, 773, quoniam ſubſtituit perceptiones ſibi mutuo ſocias, quarum vel vtraque dato tempore fuerant ſenſationes, vel altera imaginatio, altera ſenſatio, vel altera ſenſatio, altera praeuiſio, M. §. 576. Sic antecedens ponitur pro conſequente in euphemiſmo Catulli de pomo Atalantae,

Quod zonam ſoluit diu ligatam, 2.

et apud Virgilium, quando Silenum antiquiſſima cantantem narrat: Ecl. VI.

Tum Phaetontiadas muſco circumdat amarae
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.

Conſequens pro antecedente:

Caeduntur tumidae, medico ridente, mariſcae. Juu. II. 13.

vnum concomitantium pro altero:

Vos lanam trahitis, calathisque peracta refertis
Vellera, vos tenui praegnantem ſtamine fuſum
Penelope melius, leuius torquetis Arachne. 55

§. 797.

§. 797.

ANTONOMASIA, qua pro idea, conceptu singularium et indiuiduorum, et famosiori vel vsitatiori, eiusdem signo, quod in oratione solet esse nomen, nunc proprium dici solitum, substituitur conceptus alius, vel plures conceptus in periphrasin et circumscriptionem combinati, nunc cum priore reciproci, nunc latiores eodem, aut vice versa, est synecdoche, nunc adscendens speciei, vel generis pro indiuiduo, §. 789, nunc descendens, indiuidui pro specie vel genere, §. 790, 786. nunc tandem descriptio propria, quae scilicet describendo non sit latior, manifesta potius est figura, §. 550, 733. quam tropus. §. 780. *Magnanimus Anchisiades* apud Virgilium V. est antonomasia adscendens. Patronymicum enim, etiamsi vnicus sit tantum filius, aut vnica filia, tamen horum indiuiduis latius patet in regno possibilium heterocosmice, quia plures esse potuissent filii filiaeue, immo in hoc etiam mundo, quoniam non solis filiis filiabusue conuenit, sed posteris etiam

Natorum natis, et qui nascentur ab illis,

Antonomasia descendens est apud Plautum:

I hac mecum, vt videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Juno mea.

Debetur magnus patinae subitusque Prometheus, Juu. 4.

(pro

(pro figulo.)

Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe deorum. 14.

§. 798.

Haec antonomaſia deſcendens praecipue placuit multis venuſtatum amatoribus, §. 797, 755. Clodium in ſorores etiam ardentem Cicero *Romanum Jouem* dicit, §. 756, 754. *Quae autem hic inſidiae ſunt? aut quis nobis Hannibal nauigat?* Petr.

Conſulit ićtericae lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua. Juu. 2.

Hac ratione totam periodi platonicae fabulam explicari debere reor, et locum Virgilii:

Alter erit tum Tiphys, et altera, quae vehat, Argo,
Dilectos heroas, erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles. ecl. 4.

§. 799.

Antonomaſian, quae figura potius, quam tropus ſit, habes in circumſcriptione Socratis ipſi tamen propria: §. 797.

Aethereusque Platon, et qui fabricauerat illum,
Damnatusque ſuas melius damnauit Athenas. Man.

barba-

barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutae. Perſ.

Ad antonomaſian adſcendentem refero ſermonis illam communicationem, qua pulcre cogitaturus fauorabilia, ſibi ſoli forſan conuenientia, ſuis ſimul ſpectatoribus auditoribusue ſimul tribuit, et odioſa, his forte ſolis propria, ſibi tamen ſimul adſcribit, in perſona, quam vocant pluralis numeri primam, ponit enim ſpeciem praeſentium pro certis indiuiduis.

§. 800.

Ευφημισμοι, quaeque *κατα λιτοτητα* belle cogitantur cum aliqua extenuatione, §. 329. non tam tropi ſunt peculiares, quam caſus aliqui, quorum obuentu moratum cogitandi genus, §. 227. ad aliquam potius figurarum e. g. periphraſin, vel tropum ex allatis quemcunque ſuaſerit confugere, quam rem nude et explicite, qualis cogitanti primum in mentem forte venerit, minus eleganter vel concipere, vel efferre, §. 789, 796. Sic extenuat ſynecdoche partis pro toto, niſi loqui velis de rebus ad te pertinentibus, inſtar glorioſi militis, extenuat laudabilis illius, quod tibi tuiſue velles adſcribere, negare potius oppoſitum, quam illud ipſum affirmare.

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi.
Si quid mihi humanitus acciderit, eſt ſynecdoche

che adſcendens §. 789. *vixiſſe* eſt metalepſis antecedentis pro conſequente; §. 796. vti et illa loquendi formula, quae viuere iubentur et valere, quae miſſa facimus, quibus nuncium mittimus, in poſterum aſpernaturi.

Omnia vel medium fiant mare. Viuite, ſiluae!

§. 801.

Tropus, vti humana omnia, gradus etiam admittit, et maius ac minus, dum poteſt creſcere 1) extenſiue, continuando tropum dati generis per plures cogitationes explicite pingendas aut ſignificandas, et haec cuiuscunque tropi continuatio dabit ALLEGORIAN, 2) intenſiue, quando non vnicum ſolum et immediatum ſubiectum comparationis omittitur et occultatur, ſubſtituto per tropum termino comparationis, ſed ille ponitur comparationis terminus, ex quo debeas, exponendo tropum, eruere primo certum aliquod ſubiectum comparationis, quod dein, quam primum erutum ac inuentum eſt, ſubito tranſit in nouum et tacitum etiam terminum relationis, nunc demum expoſitione repetita pandentem ſubiectum illud comparationis, quod primario nunc cogitandum, et extra tropum explicite ponendum proprieque ſignificandum fuiſſet. Haec troporum intenſio, tropus, vt ita dicam, interne duplicatus, vel omnino multiplicatus, METALEPSIS eſt, ſi metalepſin,

de qua §. 796, metonymian potius, vti est, denominemus.

§. 802.

Allegorian latius non omni solum troporum generi tribuimus, ironiae etiam, §. 801. vniformiter decurrenti, qualis esset congeries metaphorarum, quarum et inter terminos comparationis est nexus quidam arctior analogo rationis obseruandus, congeries metonymiarum eiusmodi, e. c. sed etiam crama quoddam et miscelam troporum diuersi generis serie continua sese excipientium, ita, vt allegorumena sint, quibuscunque subest sensus mysticus. Jam clarum est, quanta hic pateat ianua in caliginem aestheticam, quanta sit opus cura, ne longius petitum videatur obscuritatis potius, quam illustrationis, argumentum, §. 634, 741. Hinc vmbram qui malunt, quam noctem, ALLEGORIIS PVRIS, quarum subiecta comparationis omittuntur omnia, saepe praeferunt MIXTAS, quibus saltim aliquando, clauium instar, subiecta comparationis, explicite etiam cogitata, interseruntur. §. 736.

§. 803.

Allegoria pura Ciceronis est, pro Quinctio: *Ita fit, vt ego, qui tela depellere, et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum aduersarius nullum iecerit:*

illis

illis autem id tempus impugnandi detur, quum et vitandi istorum impetus potestas ademta nobis erit, et, si qua in re, quod parati sunt facere, venenatum aliquod telum iecerint, medicinae faciendae locus non erit. Mistam habet pro Milone: *Equidem caeteras tempestates et procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper putaui Miloni esse subeundas.* Huc fabulae, §. 526. apologi, §. 537. et AENIGMATA, complexus praedicatorum non bene conuenientium, et vix in vna sede, vno subiecto, morantium, quorum subiectum, clauis, vel reticetur, vel occulitur. Justus lucis et vmbrae dispensator Virgilius, imitatus oracula, §. 671, non abhorruit ab allegoria descendentis antonomasiae, §. 798, 801:

Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio iam partus Achilles
Natus et ipse dea.

§. 804.

Quem protendit tropum allegoria, nisi serio caueas, in turpem obscuritatem, intendit metalepsis, §. 801. Sed videamus bonas. In primo §. 789. exemplo habes synecdochen duplicatam 1) adscendentem totius pro parte, vlmorum pro virgis, et 2) descendentem inferioris pro superiori vlmearum virgarum pro quibusuis ligneis. In *passere Catulli* est, §. 790. 1), metonymia si-

gnati pro ſigno, vel contenti pro continente, et deinde 2) ſynecdoche partis pro toto. In illo: *Integritas tua te purgauit*, §. 791. eſt metaphora et ironia complicatae. In primo §. 794. exemplo eſt metalepſis primo metonymiam continentis pro contento, et dein ſynecdochen totius pro parte ſiſtens, niſi omnes earum vrbium ciues fabros ferrarios, inſtar Cyclopum, iudicaueris. Quando pro: nunc meridies eſt, dicitur: *Nunc pecudes frigora captant*, habes metalepſin metonymiae, qua 1) contentum, phaenomenon ruſticum, pro continente tempore et 2) contentum frigus pro continente aura ventoue dicitur, niſi malis vltimum tropum ſynecdochen partis pro toto, dicere, quo pertinet tropus abſtracti pro concreto. §. 794. *Joue frigido*.

§. 805.

Durat adhuc allegoria, §. 801. metonymiae contentorum phaenomenorum ruſticorum pro continente tempore, §. 794. et tamen accedit per metalepſin antonomaſia deſcendens, quando *Theſtylis* pro quauis muliere ruſtica ponitur, §. 798. Quum *homo, dum calet, deuorandus* cenſetur, §. 795. metonymiae poſſeſſoris pro re, quam habet, per metalepſin additur altera, qua phaenomena corporis in anima ſimultaneis ſolent ſubſtitui, Jupiter §. 141. pro vento eſt metalepſis ex metonymia dei pro re, cui praeeſt, et

ex

ex ſyneedoche generis ſuperioris pro inferiori, concreſcens. Praeſit enim aeri iam Jupiter, non Juno, non tamen aerem generatim, ſed aerem vehementius commotum indicare poeta voluit. Pari ratione *pes* in hoc Catulli loco dictus eſt per metalepſin metaphoram et ſynecdochen partis pro toto comprehendentem.

§. 806.

Ad metalepſin referri poterunt pleraeque ſyllepſes, vti vocant caſus, in quibus vnum ſignum duos ſignificatus, vtrumque primarium, ſuſtinere videatur. §. 801.

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae.
ecl. 7.

Hic in: *dulcior* ſyllepſin deprehendunt, quae concreſcens ex metaphora et ſynecdoche ſpeciei pro genere metalepſis eſt. Si tropum durum et longius petitum CATACHRESIN et abuſionem dicamus, fallor, an eius, quid tropus ſit, non ſatis meminimus? §. 780. Eſt dura, eſt longius petita perceptionis pro perceptione, ſigni improprii pro proprio, vocabuli translati in locum proprii ſubſtitutio, ſed eo ipſo, quia dura, quia longius eſt petita, quamquam excuſari non nunquam ipſa neceſſitate poteſt, tamen tropus nunquam eſt, ſaepe tropis oppoſita cogitationum deformatio. De tropis etiam valent obſeruata de figuris, §. 339. quoniam ſunt figurae crypticae, §. 783.

§. 807.

Poteſt etiam hyperbole, ſi lateat in ſubſtitutione perceptionis minoris pro maiore, vel maioris pro minore, tropus eſſe, §. 339, 780. Neque tamen omnis hyperbole tropus eſt, neque peculiare troporum genus conſtituit, ad ſynecdochen, comparationem maioris et minoris, totius et partis, crypticam, §. 742, 782. referenda. Multo minus omnem emphaſin poſſum tropum dicere, M. §. 517. minime peculiarem troporum claſſem fingere. Sane tropus omnis, ſed etiam omnis figura, bene locata, pulcre ſignificata, ſuam habet comitem emphaſin §. 26, 783.

* *

SECTIO XXXXVIII.

THAVMATVRGIA AESTHETICA.

§. 808.

Lux nouitatis perceptiones illuſtrat egregie, M. § 549, 550. Nouitatis intuitus, ADMIRATIO curioſitatem excitat, M. §. 688. curioſitas attentionem, M. §. 625, 529. attentio ad rem viuide ſibi pingendam nouam lucem affert. M. §. 628, 531. Pulcre hinc cogitanda, quando illuſtranda ſunt, §. 730. bene ſiſtuntur admirationem nouitate, clarius cognoſcendi ſtudium admiratione, tandem

tandem attentionem ſtudio clarius rem cognoſcendi conciliantia. Conciliatio nouitatis, per hanc admirationis, per hanc curioſitatis, per hanc attentionis **AESTHETICA**, breuitatis cauſſa, dicatur a nobis **THAVMATVRGIA**.

§. 809.

Craſſus apud Ciceronem de or. I. 137, quando ſtatim a limine ſuae diſſertationis excuſatione dignum iudicat, ſe noua non dicturum, hoc ipſo tacite concedit, quam ſcripſimus, regulam, §. 808. *Quum audieris*, inquiens, *non tam arbitror te haec admiraturum, quam exiſtimaturum tum, cum ea audire cupiebas, cauſſam, cur cuperes, non fuiſſe. Nihil enim dicam reconditum, nihil exſpectatione veſtra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam nouum.* Paſtores ipſi laudauere, quando

Pollio et ipſe facit noua carmina. Ecl. 3. 86.

Nouitates ſi ſpem afferunt, vt tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, §. 731. *non ſunt illae repudiandae.* Cic. de am. 70. Quid aliud Quintilianus, quando diſſuadet non multum ab initio orationis *omnem in reliquum nouitatis gratiam praecerpere?* IV. 5. Aſſentitur Horatius l. c. §. 294. Nouas res boni ciues, nouos homines contemnant, qui *nil, niſi Cecropidae:* nos recte nouam pulcre co-

 gitandi

gitandi materiem, et gratam in ipsis cogitationum elegantiis nouitatem amabimus, §. 808.

§. 810.

Qui libenter audiunt, et magis attendunt, et facilius credunt, plerumque ipsa delectatione capiuntur, nonnunquam admiratione auferuntur. - - - Recte Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit: Nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam iudico. Aristoteles quoque eandem petendam maxime putat. Quint. VIII. 3. Sed quae potest esse, nisi nouitatis, admiratio? §. 808. Obiecerit forsan aliquis: *esse praestantem illam et diuinam sapientiam: nil admirari.* Cic. Tusc. III. 30.

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque quae possit facere ac seruare beatum.
Hor. I. ep. 6.

Vnde colligas admirationis studium ad fucos potius, §. 688. et mendacia vere non splendida, §. 625. relegandum esse, quam naturali accensendum ornatui. §. 622, 623.

§. 811.

Verum salua res est. Qui fuit veterum siue mos, siue morbus, etiam tunc, quum distinctissime rationem instruere docendo debuissent philosophi, captare tropis paradoxa, et

et apophthegmatibus in ipsa saepius aenigmata, praecipitare liberum spiritum, §. 803. aut hic etiam iubentes *nil admirari* per hyperbolen volunt a vehementiori tantum quotidianarum curarum, ignoranti ac stupida, admiratione reuocare, aut metonymia consequentis pro antecedente, §. 796. rerum humanarum obliti, caecitatisque mortalibus ineuitabilis diuinam sapientiam ab omni ignorantia, matre admirationis, cecinerunt immunem; aut tandem fallacem potius, et fucatam, quam veram et homini naturalem professi sunt sapientiam, cui summi numinis in admiratione sapientissima transigetur, si sapit, aeternitas.

§. 812.

Licet itaque non fucatae, sed Gratiis litanti, sapientiae, neque *rudes* tantum *et agrestes*, sed hominum, *animos admiratione mulcere*, §. 808. Ne tamen nouitatis studio nimium abripiamur, hae cautelae sunto. 1) Nouitatem obiecti et materiae cum nouitate rerum et cogitationum ne temere confundas, §. 18. Haec in primis quaeritur, non illa, §. 808. De nouis noua meditari non nego facilius, neque gratiam nouitati materiarum denego, nec lucem. Interim de antiquissimis non solum, sed etiam de dudum cognitis, animo tamen voluere potest

carmina non prius

 Audita

Audita Musarum sacerdos
non vsitata nec tenui latus penna per aetherem,
potest de recentissimis negotiis, dum calent,
indoctus in triuiis
Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

§. 813.

2) Neque materias, neque cogitationes captare velis absolute nouas, nondum vnquam cogitata, quibus non abripiaris solum a strictissime veris, §. 441. sed etiam fictionibus poeticis prorsus ignotis, §. 518. certissime tandem deferaris in turpem vtopiam, §. 514, 469. verisimilitudine destitutam omni, §. 483. meram caliginem, §. 638. M. 889. Memento Phaetontis, quem absolutae nouitatis et admirationis studiosum, licet relatiua iam

rerum nouitate pauentem,

pater admonet, venustorum ingeniorum communis pater, §. 82:

Sors tua mortalis, non est mortale, quod optas.
Plus etiam, quam quod superis contingere fas sit,
Nescius affectas.
Nate, caue, dum resque sinit, tua corrige vota, §. 812.

\- - - -

Denique quicquid habet diues circumspice mundus, §. 513.

Eque

Eque tot ac tantis caeli, terraeque, marisque,
§. 509.
Posce bonis aliquid. Nullam patiere repulsam.
Deprecor hoc vnum, quod vero nomine poena,
Non honor est. §. 810. *Poenam, Phaeton,*
pro munere poscis, §. 808.

§. 814.

3) In relatiue nouis primario tuo obiecto personali, quae tibi nouitas sufficiat, §. 813. ne satis tibi denuo sit, partim materiam eligendam, partim significanda de eadem fuisse huc vsque, partialiter saltim, incognita, maxima sit in hoc cura, num ea sint hactenus incognita, quae a te nota reddita nunc demum lucem et gratiam nouitatis per te sint acceptura, et admirationem motura, quando vix antea subobscure percepta nunc intueamur. §. 808. Inuentor non est incognitorum venditor, sed olim incognita nota reddens. Neque venustum cognoscendi studium mouebit, multo minus explebit, aut admirationem merebitur vltra plebem sapientium, multus in incognitis, quorum ipse suam tantum prodit ignorantiam, nouam ipsis potius inducens caliginem, quam vt ea nouam in lucem nouerit protrahere, §. 627. Vix quisquam incognita crepando, quae nesciat tandem illustrare, spectatorem, vt

coruum, deludet, hiantem,

impu-

impune, quin occinatur miſerabili thaumaturgo:

Num furis, an prudens ludis me obſcura canendo? Hor. II. *S.* 5, 58.

§. 815.

4) Ne relatiue nouorum ea tibi legas cogitanda, quae cognitu vel indigna vere ſunt, vel ſaltim primariis tuis ſpectatoribus videantur attentionem ſuam adeo non mereri, prudens vt praeuidere poſſis dotium tuarum aeſtumator opis tuae non fore, curioſitatem tuorum in haec dirigere. §. 808. Sint ſpectatores tibi, qui videantur etiam primarii, male feriati minutiarum amatores, quorum aures vili venuſtae cogitationis lenocinio lubentiſſime titillarentur, quales §. 184. tanguntur, primaria tamen lex dignitatis aeſthetica, quam abſoluta iam poſcit et inuoluit magnitudo, §. 185, 178. turpiter cederet inferiori curioſitatem obſeruandi regulae, §. 808, quae ſubordinatur demum legi lucis aeſtheticae. §. 614. nec id quidem neceſſario, §. 617, 625. Maius erit, et, quo rarius, hoc eo ipſo recentius, curioſius, admirabilius et attentione dignum, ſi poſſis ſpectatorem alia omnia, et leuiſſima quaeuis exſpectantem initiare maioribus deuiamque mentem ſenſim in grauiorum nobiliorumque contemplationem allicere, ducere, defigere. Tentat artificium Horatius I. od. 27.

Natis

Natis in vſum laetitiae ſcyphis
Pugnare Thracum eſt. Tollite barbarum
Morem - - -
ah! miſer,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma!

§. 816.

In abſolute dignis, etiamſi ſpectatores habeas in primariis etiam, qui ſatis amarent, vel in grauiorum tractatione relatiuae te dignitatis minus anxium obſeruatorem, vel iisdem omnino praeferri leuicula, comparatiue ſaltim, §. 197-201: ne nimium des placentiae, quoniam relatiua demum, non abſoluta catholica, *dignitas* eſt *admirabilis* illa §. 187, quam ſectari iubent, §. 808-810. An in ſolis piorum ſedibus contingeret, quod narrat Horatius II. od. 13?

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te ſonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura nauis,
Dura fugae mala, dura belli,
Vtrumque ſacro digna ſilentio
Mirantur vmbrae dicere. Sed magis
Pugnas et exactos tyrannos
Denſum humeris bibit aure vulgus.

§. 817.

§. 817.

Verum a) possunt quaedam, attentione mortalium dignissima, tamen aliquibus, qui forte tui sint spectatores primarii, certis in locis, temporibus, et occasionibus, minus opportuna, minus tempestiua vere esse, quibus nunc aduertant animum, pro grauitate rei, b) possunt aliis, quorum caussa potissimum cogitas talia videri, per errorem, largior, sed per errorem tamen, datis tuis viribus, dato tempore, non vincibilem. In vtroque casu proferres tuis inaudita forsitan, immerito forsan incognita, neque tamen admirationem moueres, sed taedium. Noua dare cogitares, sed gratia nouitatis excideres, §. 815. Quo grauiora sunt, quae cogitare parabas, hoc maiori opus erit solicitudine, ne iis ea, qui fruge inuenta, quicquid egeris, glandibus vesci malunt, contemtim proculcanda temere proiicias.

§. 818.

5) Ne eo in gradu inaudita quaeras, vt non sapientum solum fidem transcendant, §. 424, non solum logica, et aesthetica, quam requirunt, §. 431 - 439, nunc generali, §. 440, nunc strictissima, nunc heterocosmica, §. 441. verisimilitudine destituta tuis obiectis personalibus praecipuis videri debeant, §. 483, sed etiam dynamometria praeuidere possis aesthetica

ſthetica, §. 60. non fore tuarum virium, dato tempore, datis capitibus, ſeu ſpectatoribus, ea reddere vel aeſthetice, quantum neceſſe ſit, veriſimilia, §. 555. Alias, noua quidem profari videberis, ſed nuces caſſas, vitra fracta, ſomniorum interpretamenta, portenta Theſſala, fabulas aniles, abſurda, recens aliquis nugiuendulus, neque curioſitatem tuis concilians, nec admirationem, niſi quam irriſio comitem habet, et quae nunc ſane non quaerebatur, §. 808-810. Pone ſpectatores tuos praecipuos, qualis erat Juuenalis, pone tibi neque vires, neque tempus eſſe legis hebraeae maximam illis ob oculos ponendi veriſimilitudinem, ne quid nunc certius dicam: pone te tamen iisdem exponere,

Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes. XIV. 102.

loqueris illis noua, inaudita multa romanis logibus, ſed *metuentem ſabbata, nil praeter nubes et caeli numen adorantem, cui ſuilla ac humana caro nil diſtet, cui ſeptima quaeque lux ignaua ſit, praeputia ponentem*, ea, quam optaras, nec curioſitate proſequentur, nec admiratione.

§. 819.

6) Ne facile cogitanda venuſtius ſperes ſpectatorum gratia, quibus tractandorum et totum et partes, immo vero partium etiam partes

tes forsitan, ita noua sint, vt non nisi longe petitis aliquantulum illustranda possis praeuidere, §. 741. Saltim enim dura videbitur spectatoribus tractatio, §. 787. nisi omnino non satis protensionis et simul intensionis in attendendo secum ferentes de te capiendo desperent, et sic omnis simul et curiositas concidat, et admiratio lucem et gratiam pulcris meditationibus circumfundens, §. 808. Belle cogitans nec omnem paraenesin a Paradiso,

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo,

sed vt possit

in medias res

Non secus, ac notas, auditorem rapere,

res eligit, quarum, totum vbi nouum fuerit, sint tamen partium apud auditores anticipationes quaedam, quarum partes si nouae creantur, totius tamen iam adsit praeconcepta quaedam animis imago, §. 484.

§. 820.

MATERIAS ABSOLVTE EXHAVSTAS, de quibus nemo mortalium cuiquam aliquid venuste noui propinare possit amplius, alias ad horizontem aestheticum pertinentes, §. 119. vix reor vllas esse, **RESPECTIVE** autem exhaustae videri possint, de quibus datum ingenium datis obiectis personalium primariis vix aliquid venuste noui possit exponere. Hinc dissuaserim, si tecum est materiarum optio

optio 7) ne temere thema tibi constituas, quod respectu tui tuorumque spectatorum ipsi tibi iusto te pede metienti possit exhaustum videri. Quoniam illud nihilominus aggressus aut pulcrum nouitatis studium desperabundus abiicies contra §. 808. trita quaeuis et dicta sexcenties repetere satagens, aut illius tenax in magno periculo versaberis noui quidem, sed non naturalis, §. 622, 623. non coloris, sed fuci §. 688. rebus tuis inducendi. §. 706, 324.

§. 821.

8) Ne tantum nouitatis et inopinati tuam in meditationem congeras, vt ipsa nouarum rerum et cogitationum frequentia, ac constipatione tollatur omnis ille iucundus eleganter cogitatorum color, quo subito potius fusa, naturalique facilitate fluentia videantur nunc demum, quo ponuntur, tempore, quam multo cum sudore iam ante excussa per artem et longos labores ingenio, velut Minerua Iouis capiti. Tunc enim nimia nouitate suspecta redditur nouitas, et acute dictum vnum vel alterum si placuit, vt nouum, decem vno halitu effusa vetera credimus et praeparata. §. 788. *Pleraque gratiora sunt, si inuenta subito, nec domo allata, sed inter dicendum ex ipsa re nata videantur. Vnde illa non iniucunda schemata: paene excidit mihi, et: fugerat me, et: recte admo-*

admones. Quint. IIII. 5. Hinc diiudica morem verba honoris coram loquentium et gratiarum actiones pro praesenti beneficio tamen domi praeparatas afferentium non solum, sed etiam palam legentium, ne quis nesciat, se iam gratias egisse voti nondum compotes.

§. 822.

In primis autem amabilem suis nouitatem conciliaturus omni ope caueat, 9) ne facile noua omnia et inaudita se prolaturum spondeat, qualia promissa plerumque relinquenda sunt circumforaneae circulatorum eloquentiae. Quum enim propter *εικος* necessarium sit nota miscere incognitis, §. 819, periculosum est, non sine specie saltim arrogantiae totalem vtilium rerum ignorantiam, in qua huc vsque versati sint, non ita tecte suis exprobrare primariis spectatoribus, et simul offensos erigere in tot sui iudices criticosque seueriores, qui primo secum:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

et dein, nisi vere *εικος* neglexeris, magna cum verisimilitudine queant reprehendere non stetisse promissis, qui nouis suis multa ante cognita intexuerit. Quid autem, si quis inter eos minus tibi forte cognitus adsit, qui, vel ex veritate rei, vel saltim in poenam visae arrogantiae, non sine verisimilitudine, queat omnino, plausus loco, tibi

rege-

regerere, ſe iam iſta dudum nouiſſe melius omnia, quam a te prolata ſint?

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte,

Craſſus §. 809. qui nihil inauditi promittit, et eo ipſo, quum dudum cognita tantum reuocaturus in animum videri vult, tecte ſtudio nouitatis arrepit, impetraturus, vt quae forte iam noueris, ea audias lubenter, quoniam promiſſa ſint, quae minus noueris, eaque ratione, qua proferuntur, nunquam antea conceperas, eo percipias nunc lubentius, quoniam noua deprehendis oblata inopinato, ſimulque vere tibi noua tibi recludens modeſte diſſimulat auditoris ignorantiam.

§. 823.

Thaumaturgia aeſthetica, ſed ſobria, conſentit cum illo:

Non ſatis eſt dixiſſe: Ego mira poemata pango, §. 822,

Hinc nec vbique laborat in eum admirationis gradum coniicere, quo vel

Obſtupui, ſteteruntque comae, vox faucibus haeſit,

vel blandior animum extra ſe rapit ecſtaſis, qualem ex Catullo vidimus, §. 87. Ad quantamcunque ſuis nouitatem, et huius proportionatum intuitum, aliquantulum ſaltim admirationis, quodque ſolicitationem ad mirandum malis forte dicere, quam ipſum

mirari, procurandum iuuabit, 1) antiquissima nonnunquam animo recolere, quae tamen immerito paene deperdita doceas. Ferunt ipsi archaismi bene recteque locati suam secum nouitatem, et dudum cognita, quae quotidie menti recurrere debebant, si clarius aliquando, veluti iure postliminii reuocantur ad animum, iterata sua eundem nouitate percellunt, id ipsum mirantem, qui potuerit eorum tantum non obliuisci, 2) non nouis, vti non diffitearis, nouam lucem si dare cogites, derelicta materiarum et obiectorum nouitate, §. 812. immo expresse negata, id vnice intendas, vt ista, quae videantur obsoleta, tamen ea ratione nunc deducas, tuisque spectatoribus ob oculos sistas, vt hoc ipsum illis aliquantulum mirum videatur, rem et materiem toties a se cogitatam hac tamen ratione modo ac via, hac serie et iunctura, sibi nunquam obseruatam esse huc vsque. Quo tunc noua tua de satis cognitis cogitandi ratio magis ad naturam accedet, quo pronior, facilior, et cuiuis parabilior videatur, hoc spondere tibi maiorem admirationem poteris.

§. 824.

3) Circa materias dudum cognitas occupatus prudenter ab initio statim venustae meditationis subindicabit, nouam easdem lucem vtique mereri, forsan et ipse mirabitur, qui fiat,

fiat, vt in adeo notis tam infrequens tamen, tam inusitata sit ea res eiusmodi declarandi ratio, quae nisi sit optima, negligi tamen et omnino contemni, profecto, non mereatur, ea scilicet, quam dein ipse meditatur ingredi, §. 823. 4) quae minus videantur verisimilia, largiri saepe decet, ea non videri, addere etiam rationes dubitandi, si vacat, et sic sensim auditorem in istam spem inducere, videnda sibi forte post hanc ipsam tractationem, quae nunc non videantur, non veri solum similia, sed etiam omnino vera, liberandum eius nouiter animum esse iam inueteratis contra datam materiem dubiis, e. c.

§. 825.

5) Sint etiam perceptiones tuae partiales notae, tu modo nouum inde totum apte compone, nec laude nouitatis excides. Quid coloribus, quid floribus plerisque notius? quot inde tamen noui Venerum nostrarum habitus, quot noua serta puellarum

Sectis in iuuenes vnguibus acrium?

6) sit totum iam cognitum, tu vero tecum illud circumspice, si qua sit eius pars, si qua facies aut latus aliquod minus aliis obseruatum, spectandum tamen, §. 815. lustranti oculis omnia se tandem offerat. Hanc notissimae rei partem, faciem, vel latus ex comparatiuis tenebris protrahe, hoc potissimum in punctum visus spectatoribus tuis lo-

ca et reliqua ſic ſuperadde, vti cum hoc arctius connectuntur, vel remotius. Quam vrbem ſexcenties vidi e longinquo nonnihil a plaga ſeptentrionali, ſi mihi eam primus ex plaga meridionali proſpiciendam exhibueris, ſpecula non inepte locata, nouum exhibuiſſe mihi ſpectaculum grato videberis. §. 823. Agnoſcere tunc veteres, quas dudum noui, turres, palatia, vicos, ſed aliud oculis latus obuertentes, aliam iuncturam, augebit voluptatem potius, quam minuet.

§. 826.

7) Vtile eſt, ſi fieri poteſt, in tractandis oſtendere, ſed ſine iactantia, multa ſupereſſe nondum culta noualia, prae ſe ferentem plus ſolicitudinis, quid ex tot nouis potiſſimum eligat, quam vnde nonnihil noui poſſit corradere. Hinc denuo colligas, quam neceſſaria venuſtis ingeniis pulcra ſit eruditio, §. 63. qua nouerint terras in republica litteraria cognitas et incognitas, ac harum et terminos inter ſe, et incognitarum ſenſim colenda latifundia. 8) Aut vere tractata a paucis ſibi obiecta legere, ſaltim non temere poſt Homerum Iliada, Aeneida poſt Virgilium ſcribere, aut conſilii erit mox audituris declarare, cur ea, quae videantur exhauſta, pro nunc et ſic, et his circumſtantibus, in quibus nunc verſemur, vere non ſint, §. 820, ſed

sed largum et nouum nonnihil post messem promittant spicilegium, e. c.

§. 827.

Optimum tandem nouitatis impetrandae consilium erit iis, qui vti eodem poterunt: 9) Quae diues vena de cogitando, sibi iam probe perspecto, §. 639. didicit olim et ipsa secum est meditata, veluti prouisionaliter, nunc potius ipsa secundum naturales pulcritudinis regulas cogitet, disponat, exprimat, quam vt caecus imitator sequatur archetypon, §. 714, 715. Tunc enim, non inepta, quae fiat aliquibus minorum gentium ingeniis exemplar et originale, naturalem suum, sibi proprium, genium sequens, solis aeternis venustatum legibus restrictum, caetera liberum, non *desiliet*

imitator in arctum,

Vnde referre pedem vetet aut pudor, aut operis lex,

naturae potius in omnibus et subiectis et obiectis nonnihil diuersae non coacto, non affectato, ingenio nouitatem, velut aliud agendo, sine anxia solicitudine, quantum satis est, impetrabit, §. 823. Non vitae humanae picturas iam arte factas, non exempla saeculi cuiusdam pristini iam expressa nescio cuius penicillo potissimum, sed ipsam rerum naturam, suique, quod viuit, saeculi

Reſpicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem, ac veras hinc ducere voces, §. 613.

quae non eſſe ſimul non poterunt nouae, quoniam ſcena ſaeculi mutatur aſſidue, dum

Nil ſub ſole noui eſt. §. 813.

§. 828.

Nouitatis poſt procurationem altera thaumaturgiae cura ſit ſpectatorum vel auditorum curioſitas, §. 808. quam obtinebunt argumenta ad eandem mouentia, de quibus infra, §. 22, 26. Quibus duobus poſitis orietur admiratio, quam primum antiqua forſan in tuis meditationibus occurrant, neque tamen obſoleta videantur, et noua non tantum ſymbolice cognoſcantur audianturue talia, ſed etiam obiecta tua perſonalia intueantur illa, vt talia. M. §. 620. Hinc denuo colligas, quam vtilis ad naturalem pulcritudinem ſit penitior cognitio ſui obiecti perſonalis primarii, quoniam, quae ſunt vni hominum admirabilia maxime, non poſſunt eadem alterius etiam ſemper et certo ferre ſecum admirationem. §. 679-681.

SECTIO

SECTIO XXXXVIIII.
PERSVASIO AESTHETICA.

§. 829.

Pulcritudinem cogitationum in primariis §. 113, 177, 423, 614. quintam numeramus, §. 22. certudinem sensitiuam, analogo rationis etiam obtinendam veritatis et verisimilitudinis conscientiam et lucem, **PERSVASIONEM**, sed **AESTHETICAM**, §. 22. M. §. 531. Haec enim etiamsi nonnunquam simul impulsionem ad agendum et incitationem inuoluat: habet tamen et in theoreticis locum, et singula probe perpensuris cum fructu distinguetur a vita cognitionis in sequentibus animaduertenda, cuius est conditio antecedens persuasio, quae nonnunquam pro consequente ponitur, §. 796.

§. 830.

Plato tantum apud Dionysium auctoritate potuit, valuitque eloquentia, vt persuaserit tyrannidis finem facere, libertatemque reddere Syracusanis. Persuasio aderat, §. 829. quanquam Dionysius, *ab hac voluntate deterritus Philisti consilio, aliquanto crudelior esse coepit.* Corn. in Dione. Persuasionem aliqui nunc logici dicunt erroneam certitudinis opinio-

 nem,

nem, eum animi ſtatum, quo nos certos per errorem putamus. Ex qua vocabulorum ambiguitate, ſunt, qui ſibi feneſtram aperiunt, orationem ad perſuadendum idoneam omnem lenociniis potius et fuco, §. 688. quam veris accenſendi venuſtatibus. Neque negandum eſt errore deſcripto laborantes perſuaſos non raro dici. Sic apud Ciceronem de nat. deorum l. 61. Cotta, *ipſe pontifex, qui cerimonias religionesque publicas ſanctiſſime tuendas arbitratur, is hoc, quod primum eſt, eſſe deos, perſuaderi ſibi, non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem plane velit.* Pari ratione Virg.

Nec tibi iam prudens quisquam perſuadeat auctor
Tellurem Borea rigidam ſpirante mouere.
Georg. II. 316.

§. 831.

***Si** in anteacta vita aliquae turpitudines erunt: aut falſo veniſſe in eam exiſtimationem dicentur, aut ex aliquorum inuidia, aut obtrectatione, aut falſa opinione, aut imprudentiae, neceſſitudini, perſuaſioni adoleſcentiae, aut alicui non malitioſae animi affectioni tribuentur.* Cic. de Inu. II. 37. Heic etiam perſuaſioni ſiniſtrum eſſe ſignificatum quis negauerit? §. 830. Idem tamen Cicero l. 6. *officium oratoriae facultatis* dicit, *dicere appoſite ad perſuaſionem, finem, dictione perſuadere,* illius nempe

pe facultatis oratoriae, *cui moderatrix omnium rerum praesto sit sapientia*, 4. sane non ferens scopum alterius errorem. Quis autem non videt hic Ciceronem in vltimo loco persuasionem veram intendere, qualis illa de qua Horatius Serm. I. 6. 8.

persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos.

§. 832.

Quam autem in primo §. 831. citato loco *persuasionem adolescentiae* vocauerat Cicero, huius exemplum Quintilianus habet II. 4. ex *extemporali garrulitate* deriuans *parentum imperitorum inane gaudium*, adolescentibus *autem contemtum operis*, *inuerecundam frontem*, *consuetudinem pessime dicendi*, *malarum exercitationem*, *et*, *quae magnos quoque profectus frequenter perdiderit*, *arrogantem de se persuasionem*. Neque melior est persuasio, de qua I. 1. *Nihil*, inquit, *peius est iis*, *qui paullum aliquid vltra primas litteras progressi falsam sibi scientiae persuasionem induerunt*. Habemus itaque facilem viam ambiguitatis tollendae. Conscientia veritatis distincta, conuictio est; indistincta et sensitiua, persuasio. Haec indistincta veritatis conscientia est, quemadmodum omnis cognitio, vel vera, vera persuasio, §. 831. vel falsa, falsa persuasio.

§. 833.

§. 833.

Perſuaſio generatim eſt phaenomenon animae, quo ſe veritatem appercipere putat, ſicuti viator nouam

Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila lunam.

De hac Quintilianus I. 2. quando negat *eſſe diſſimulandum, nonnullos eſſe, qui ab hoc prope publico more,* praeceptores publicos adeundi, *priuata perſuaſione diſſentiant.* Nunc enim ponit hanc perſuaſionem tantum, vt conſtantem vſu et experientia. Dein demum examinaturus, an vera ſit, an falſa, §. 832. Quando vero per hoc examen ſcholas publicas vitantium *ſecretis aut langueſcere mentem, aut quendam velut in opaco ſitum ducere, aut contra tumeſcere inani perſuaſione* aſſerit, non perſuaſionis ſimpliciter, ſed definite et accuratius inanis i. e. falſae perſuaſionis meminit, §. 832.

§. 834.

Perlegenti Quintiliani II. 15. apparebit, quot controuerſias euitemus et ictus per latus rhetorices aeſtheticam etiam vel vim, vel ſcientiam, vel vſum, vel artem petentes, exigua corporis declinatione, quando non generatim perſuaſionem, §. 833, ſed aeſtheticam a pulcre cogitaturis poſtulamus, §. 829. nec hanc ſolam ſolius rhetorices finem, ſed in finibus primariis omnium venuſtius cogi-

tando-

tandorum conſtituimus, §. 5. Nec rhetorica, nec eius mater, aeſthetica *prauitas quaedam artis* eſt, i. e. κακοτεχνια, dum vtraque ſit *opifex perſuadendi*, πειθȣς δημιουργος, ac, ſi liceat cum Ennio canere,

Suadae medulla.

§. 835.

Aeſthetica, quam minus inadaequate, ac *Plato rhetoricen*, deſcribas, nec, vt Plato, *non artem*, *ſed peritiam*, verum et peritiam, et artem *quandam gratiae ac voluptatis*, §. 1. non qualemcunque perſuaſionem fabricatur, ſed, quae ſe deceat, bonam, et vere elegantem, nec eſt, quam *Athenaeus rhetoricen dicit*, *ars fallendi*, §. 830. Nec enim eſt, nec eſſe rhetoricam iubet, 1) *vim dicendi* cogitandiue, *quid in quaque re poſſit eſſe perſuaſibile*, ſi per hunc titulum *omnia oratori ſubieciſſe videtur Ariſtoteles*. S. VIIII. Auerſatur potius inanem quorundam ſophiſtarum iactantiam, qui non ſolum de rebus omnibus, ſed etiam de vnaquaque re partem in vtramque contrariarum aequali cum auditorum perſuaſione ſe mentem ſuam expoſituros circulatorie promittunt. §. 818.

§. 836.

Nec ipſa perſuadet, nec perſuadere patitur rhetoricen, matris conſiliorum tenacem, §. 835. 2) vti *perſuadent, vel ducunt in id, quod volunt,*

volunt, *meretrices*, *adulatores*, *corruptores*, S. XV. XVI. XXIII. Nec eſt tantum, nec eſſe ſuam tantum patitur rhetoricen, 3) quam *Ariſton*, *Critolai peripatetici diſcipulus*, eſſe affirmat, *ſcientiam videndi et agendi in quaeſtionibus ciuilibus per orationem popularis perſuaſionis*, ſi *popularem perſuaſionem contumelioſius* interpreteris *in artem*, *quam nihil putes doctis perſuaſuram.* Surgit altius, ſuamque poſt ſe trahit rhetoricen, vltra quaeſtiones ciuiles in magis ſublimia, S. XXI. et tranſcendentem aurae popularis arbitrium, §. 397. caetusque vulgares §. 396. in perſuadendo magnanimitatem, S. XXVI.

§. 837.

Aeſthetica nec ipſa ſectatur, neque ſuam concedit rhetoricen ita ſectari perſuaſibilia, vt 4) *veris credibilia praeferat*, S. XXVII. XXXIIII. licet nonnunquam veris aliquibus, §. 429, 430. praeferat alia, etiam vera, et ſimul εικος illud §. 484. prae ſe ferentia, quo facilius inueniant fidem. Nec enim perſuaſurus aeſtheticus, nec ex huius academia profectus, *orator*, vti *ſunt Corn. Celſi verba: ſimile tantum veri petit*, ſed veritatem ipſam, ſaepius etiam ſtrictiſſimam, §. 566. S. XXXV. licet modeſtus inuenta ſua malit a potiori veriſimilia nuncupare, §. 483, quam vera mortalibus, quorum norunt pauciſſimi, quae ſit et quotuplex veritas, ſemper vna, S. XXVIIII.

5) vti

3) *vti mangones, qui colorem fuco, et verum robur inani ſagina mentiantur.* S. XXXXI. XXXXII.

§. 838.

Recte itaque reiiciant logici perſuaſionem falſam et falſi, ſeu de falſo, §. 830. Recte tamen amabit bellum ingenium veram perſuaſionem, §. 831. et veri vel veriſimilis, §. 837, aeſtheticam, §. 834-837. eiusque habitum, ſuadam et **SVADELAM**, non illam volgiuagam §. 831-837, ſed aeſtheticam, §. 829. Nec enim eam,

Quae bene numatum decorat Suadela Venusque, Hor. ep. 16, 36.

ſed, *quam in Periclis labris ſcripſit Eupolis ſeſſitauiſſe,* Cic. de cl. or. 59.

Te facimus, Suadela, *deam, caeloque locamus.*

§. 839.

Aeſthetice perſuaſurus dare nouerit ſuis 1) veriſimilitudinem ſecundum §. 423-613, et huic lucem neceſſariam, §. 624-824. His enim datis dabitur quaeſita perſuaſio, §. 829. Veriſimilitudo, quantam ſtudium veritatis abſolutum vbique poſtulat, §. 555. abſoluta ſaltim luce §. 617. ſimpliciter dilucida, §. 625. **PERSVASIONEM** in aeſtheticis **ABSOLVTAM**, quantam autem veriſimilitudinem ſtudium veritatis comparatiuum in data meditatione

tatione requisiuerit, S. XXXV. proportionate nitens, §. 625, persuasionem COMPARATIVAM exhibebit. Vtramque, quantam pulcritudo totius desiderat, accurate praestans est AESTHAETICE SOLIDVS, vel hanc negligens, vel illius omnino contemtae reus est AESTHETICE SVPERFICIARIVS.

§. 840.

Est pygmaeorum §. 359. quaedam natio, quae se nunc philosopham putat, nunc mathematicam, cuique sua sunt omnia, sed sua sola, sicut inferorum porta Virgilio, VI.

solido ex adamante columnae,
Vis vt nulla virum, non ipsi exscindere ferro
Caelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras.

Illi suo viuant abundantes ingenio, nobis autem, logicam soliditatem suo loco plurimi facientibus, nunc

Florescant *solido Paphiae de robore myrthus.*

ACCVRATVM est leges suas exactius sequens, et accurate probans SOLIDVS est. Veritatem itaque, quam debebat secundum regulas verisimilitudinis exactius exponens luci secundum huius regulas accurate, prout aestheticum decet, cur ille non sit solidus in suo genere, in sua sphaera, ac horizonte?

§. 841.

Nolim vere venuſtos tela retorquere in philoſophos illos vel quaſi, aut mathematicos, quibus ſola ſua ſolida videntur, vti Epicureus ille apud Ciceronem de fin. I, 61. qui ſe *melius* et *verius* ait perſpicere, *neque ſtultorum quemquam beatum, neque ſapientum non eſſe beatum, ac Stoici, qui negent quicquam eſſe bonum, niſi neſcio quam illam vmbram, quod appellant honeſtum, non tam ſolido, quam ſplendido, nomine.* Idem Torquatus, quam ſoliditatem negarat Stoicis, eandem poetis denegat, et mathematicis 71. *An ille tempus in euoluendis poetis, vti ego et Triarius, te hortatore, fecimus, conſumeret, in quibus nulla ſolida vtilitas, omnisque puerilis delectatio? aut, ſicut Plato, ſe in muſicis, geometria, numeris, aſtris contereret? quae a falſis profecta initiis, vera eſſe nequeunt, et, ſi vera eſſent, nihil afferrent, quo iucundius, id eſt, quo melius viueremus?*

§. 842.

Quid enim? dum eruditi cauillatores ſibi viciſſim obiiciunt, rebus illius, quem aduerſarium aliquis ſibi legit, nihil ſubeſſe ſolidi, patitur interim veritas, et diſtrahuntur ſpectatores neutrarum partium in vere moleſtam circa vera tantum non omnia fluctuationem, ſicut aegrotus inter medicorum rixas exſpirans. Eſt ſua philoſophis, eſt mathematicis ſoliditas, ſed eſt etiam, alius quidem

 generis,

generis, §. 829. ſicuti veritas proponenda, hiſtoricis, oratoribus, poetis, §. 423, 424. ſicuti lux huic veritati circumfundenda, §. 614, 617. ſic etiam ex his reſultans certitudo, quae conuictionem pariens logicam et intellectualem ſoliditatem, perſuaſionem producens aeſtheticam ſoliditatem auctoris demonſtrabit. §. 839.

§. 843.

Aeſthetica perſuaſio 1) occupatur circa ea, de quibus completa datur et ſcientifica certitudo, de quibus auctor forſan habeat, et vtiliter, intellectualem etiam conuictionem, immo et circa argumenta materiarum eiusmodi rigide ac ſeuere demonſtrantia, quae et quatenus ſunt ſimul perſuaſibilia, §. 425, 617, 829. horizonti logico et aeſthetico communia, §. 125. quatenus ſupra hunc non adſcendunt, §. 121, 485. Hinc optime diiudicatur toties agitata quaeſtio, num philoſophica, et probationes, ex natura rerum petitae, deceant oratorem, e. g. ſacrum, nec rotunde neganda, nec affirmanda, quoniam quaedam ſatis facilem admittentia perſuaſionem in philoſophicis occurrunt et quaeſtionibus et argumentationibus: quaedam autem vix idoneis ad perſuadendum includi rationibus poterunt, et omnia pari ratione modoque, ac ad conuictionem ſcientificam propinan-

pinantur, nequicquam turbis auditorum promiscuis occinerentur.

§. 844.

Persuasio aesthetica 2) dum directo sensitiuam tractandorum certitudinem intendit, nonnunquam persuadendo de partibus per indirectum intellectui pulcro rationisque sagacitati totum obiiciet, non sine conuictione simul, certum, §. 428, 617. Erit eiusmodi tunc conuictio extensiue nonnunquam maior, et poterit numero notarum fortior esse, ac alia intensiue distinctior, et scientiis aptior, M. §. 532. Neque tamen ab aesthetico primario intenditur, quatenus est conuictio, sed quatenus ad eam persuasionibus partium apprime necessariis deducebamur. Horatio *Troiani belli scriptor*

Quid sit pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid non,

Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

Non haerebimus in comparationibus, §. 842. Sufficit exemplum obiecta demonstrationum moralium esse etiam obiecta poetae; qui persuadeat de iisdem, de quibus illae conuincant, imo conuincat intellectum tandem pulcrum et rationis sagacitatem de iisdem, de quibus illae conuicerant intellectum purum et rationis soliditatem, M. §. 637, 645.

§. 845.

Perſuaſio aeſthetica 3) occupatur circa aeſthetice probabilia, ſiue logice ſimul ſint probabilia, ſiue minus, §. 485. modo tanta non ſit improbabilitas logica, nunc etiam animis tuorum praeſens, vt omnem deſtruens probabilitatem aeſtheticam perſuaſionem ſimul omnem auferat. §. 486. Huc argumenta Horatii perſuaſibilia ad nauem I. od. 3.

Sic te diua potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida ſidera,
Ventorumque regat pater
Obſtrictis aliis, praeter Japyga.

Logice improbabile eſt, et nauim bonis votis verbisque moueri, et tutelam nauis nauim regere, et gemellos illos ignes, qui boni ſunt inſtar ominis apud nautas, fratres eſſe Helenae, et eſſe lucida ſidera, et eſſe ventorum patrem. Neque tamen erant aeſthetice improbabilia Virgilio, poëtae adeo mythologiae gnaro, vt ex nauibus etiam nymphas fabricauerit, in quas vtique cadit perſuaſio paſſiua et actiua, §. 836.

§. 864.

Perſuaſio aeſthetica lubentiſſime propter thaumaturgiam, §. 824. occupatur 4) in iis, quae fuerant tuis etiam aeſthetice dubia et impro-

improbabilia, si vires tibi noueris ad tuos de iisdem nihilo minus aesthetice certos reddendos. §. 818. Hanc hypothesin quia negligunt plerique declamatores suasoriarum, morem eorum paradoxa sectandi ridet in se ipso Juuenalis. Sat. I.

et nos
Consilium Sullae dedimus, priuatus vt altum
Dormiret.

Nunc autem eadem Satyra felicius persuadet de morum corruptione, ne iudiciis quidem et poenis coercenda, aesthetice improbabili:

Quum populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis, et hic damnatus inani
Iudicio. Quid enim saluis infamia numis?
Exsul ab octaua Marius bibit, et fruitur Diis
Iratis. At tu, victrix prouincia, ploras.

* *

SECTIO L.
EVIDENTIA AESTHETICA.

§. 847.

Verisimilibus eiusmodi, §. 843-846. dum aesthetica suada, §. 838. circumfundit perspicuitatem sensitiuam, §. 618. nascitur in-

de euidentia, M. §. 531. ſenſitiua, quam alii demonſtrationem ad oculum, ad ſenſus, et palpabilem dixerint, demonſtrationis intellectualiter conuincentis analogon. Hanc euidentiam, quoniam immediatam, intuitiuam et per ſe patentem plurimi iudicant, non raro praeferunt argumentando demum eliciendae, ſi vel illa maxime tandem intellectum conuincat. Plurimorum ſententiam Cotta profert apud Ciceronem de nat. deor. III. 9. *Ego neque in cauſſis, ſi quid eſt euidens* (ſenſitiue) *de quo inter omnes conuenit* (nec enim de euidentibus intellectui omnibus inter omnes conuenit, neque ſunt omnia de quibus inter omnes conuenire dicitur, intellectualiter euidentia) *argumentari ſoleo. Perſpicuitas enim* (ſenſitiua) *argumentatione eleuatur.* (quum intellectualis potius intendatur) *nec ſi id facerem in cauſſis forenſibus, idem facerem in hac ſubtilitate ſermonis - - - Sed quia non confidebas, tam eſſe id perſpicuum, quam tu velis, propterea multis argumentis deos eſſe docere voluiſti. Mihi enim vnum ſatis erat, ita nobis maiores noſtros tradidiſſe. Sed tu auctoritates omnes contemnis, ratione pugnas. Patere igitur, rationem meam cum tua ratione contendere. Aſſers haec omnia argumenta, cur dii ſint, remque mea ſententia minime dubiam, argumentando dubiam facis.*

§. 848.

Eandem in sententiam exorsus erat orationem suam Lucilius. II. 4. *Quid potest*, inquiens, *esse tam apertum, tamque perspicuum, quum caelum suspeximus, caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis? --- Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentius?* Consentiunt in hoc, numinis exsistentiam esse hominibus, sensitiue etiam, euidentem, in hoc dissentiunt, quod hanc euidentiam cum intellectuali coniungere non male laborat Lucilius, argumentorum autem euidentiam minus bene Cotta reiicit. §. 841, 847.

§. 849.

Quemadmodum autem vel mathematice conuicti sibi videntur aliqui per euidentiam intellectualem, falsa tamen aliquando persuasione: sic et sensitiuam euidentiam veram a falsa distinguere necesse est. §. 832. Illam sequitur aesthetica, §. 835 838. licet nonnunquam per humanum errorem in euidentiam possit deducere, cui non parum ad mixtum sit falsae persuasionis, §. 830. Δεισιδαίμων Liuius, VIII. 9. bellum huius rei exemplum exhibet narrans *Decium se pro legionibus deuouentem, incinctumque cinctu Gabino se in medios hostes immittentem.* Postquam enim

quaedam ex persuasione spectatorum falsa retulit: *Euidentissimum*, pergit, *id fuit, quod, quacunque equo inuectus est, ibi haud secus, quam pestifero sidere icti, pauebant: vbi vero corruit obrutus telis, inde iam haud dubie consternatae cohortes Latinorum fugam ac vastitatem late fecerunt.*

§. 850.

Hanc ob caussam Cicero top. 97. postulat, *narrationes vt ad suos fines spectent, i. e. vt planae sint, vt breues,* §. 170. *vt euidentes, vt credibiles, vt moderatae, vt cum dignitate. Quae quanquam in tota oratione* (omni venusta meditatione) *esse debent, tamen magis sunt propria narrandi.* Plana heic credibilitas multos euidentiae numeros absoluet. §. 847. Idem de am. 27. quando ait *amicitiam oriri magis applicatione quadam animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa utilitatis sit habitura, quod quidem, quale sit, in bestiis etiam quibusdam deprehendi posse, multo tamen euidentius in homine:* multo verius, et clarius, hinc etiam ipso sensu certius euidentioris nomine complectitur.

§. 851.

Conciliabimus itaque venustis meditacionibus pulcram illam euidentiam, de qua huiusque, 1) vero nostro §. 423-613. suam lucem dando §. 614-828. 2) oppositis huic vero

vero falsis et erroribus fucum veritatis detrahendo. §. 763. *Quum duae caussae perspicuis et euidentibus rebus aduersentur, auxilia totidem sunt contra comparanda. Aduersatur enim primum, quod parum defigunt animum atque intendunt in ea, quae perspicua sunt, vt, quanta ea luce circumfusa sint, possint agnoscere. Alterum est, quod fallacibus et captiosis interrogationibus circumscripti, atque decepti quidam, quum eas dissoluere non possunt, desciscunt a veritate. Oportet igitur et ea, quae pro perspicuitate responderi possunt, in promtu habere, et esse armatos, vt occurrere possimus interrogationibus, et captiones discutere.* Cic. quaest. ac. IIII. 46.

§. 852.

Perspicuum et euidens saepe Ciceroni sunt in synonymis. Ita enim sub aliena persona latens. 17. ενάργειαν, inquit, *graecorum perspicuitatem aut euidentiam nos, si placet, nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba.* Quoniam autem philosophis non opus est synonymis, veri demum perspicuitatem euidentiam dicimus ita, vt omnia quidem euidentia simul concedamus esse perspicua, *propterea, quod nihil est clarius ενάργεια*, neque tamen omnia perspicua iam hoc ipso largiamur esse simul euidentia. §. 614. ενάργεια *a Cicerone illustratio et euidentia nominatur, quae non tam dicere videtur, quam ostendere.*

Quint. VI. 2. Nos quidem euidentiam omnem illustrare non negabimus, §. 730. quoniam et nos *putamus orationem nullam illustriorem ipsa euidentia reperiri posse*, neque tamen omni illustrationi suam euidentiam inesse concedimus. §. 731. *Plus est euidentia, vel, vt alii dicunt εναργειαν, repraesentatio, quam perspicuitas* et illustratio. *Magna virtus est res, de quibus loquimur, clare, atque vt cerni videantur*, cum experientiae consueta certitudine, *enunciare*. Quint. VIII. 3.

§. 853.

Quo clarius, sensitiue tamen, §. 614. hinc quo viuidius, §. 619. quo plures, quo maiores veritates persuadendo sistuntur obiectis tuis personalibus ob oculos mentis: hoc maior erit persuasio, hoc maior eam comitabitur euidentia, M. §. 880. Hinc ob persuasionem, quam præstare possis, maximam noua nascitur ingeniis venustis obligatio legendi sibi, quae possint, verissima themata, quoniam, caetera si fuerint paria, quo quid est verius, hoc idem erit persuasibilius et ostendi poterit euidentius. §. 555.

§. 854.

Persuasio aesthetica etiam, sicut logica, vel erit directa et ostensiua, qua verum esse, quod ponimus, vel admodum verisimile declaremus euidenter, ad oppositum illi falsum

minus

minus attendentes, vel apogogica et per indirectum procedens, deducens ad aesthetice falsum et falso simile, vel incongruum, qua circumdamus nostris, quae ponimus, veritatis verisimilitudinisque lucem, detecta falsitate his repugnantium, §. 851.

* *

SECTIO LI.

CONFIRMATIO.

§. 855.

Persuasio directa et ostensiua CONFIRMATIO est, sicut apogogica, persuadens falsitatem oppositi, logicae refutationis analogon, REPREHENSIO, quam et infirmationem contrarii dixeris. Ita coniungit hanc duplicem persuadendi viam Cicero de Diu. II. 38. *Tu quidem,* inquiens, *non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum.* Immo iam citra artem ipsa natura facultatem vtramque coniunctam iudicat, quoniam *ita nati sumus, vt ea, quae intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere possemus.* de or. I. 90. Rhetores idem narrat *iubere* vt, inter alia, *nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare.* II. 80.

§. 856.

§. 856.

Poetarum non minus est, ac oratorum, persuadere, §. 829. Hinc persuasurus, licet infeliciter, Lucretius, et reprehendit, II. 174. *generis humani*

omnia caussa
Constituisse deos dum fingunt, omnibu' rebus
Magnopere a vera lapsi ratione videntur

et confirmat. 177.

Nam quamuis rerum ignorem primordia quae sint,
Hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis diuinitus esse creatam
Naturam mundi, quae tanta est praedita culpa.
Quae tibi posterius, Memmi, faciemus aperta.

\- - - -

Nunc locus est, vt opinor, in his illud quoque rebus
Confirmare tibi, nullam rem posse sua vi
Corpoream sursum ferri, sursumque meare.
Nec tibi dent in eo flammarum corpora fraudem,

et ita pergit refellendo.

§. 857.

Primum heic postulatum est, si quid intendis, vt illud *sine dubitatione confirmes*, etiamsi non

non ſemper omnis tolli poſſit incertitudo, licet aliquando deeſſe non nihil plenae perſuaſioni, vel analogo rationis patere poſſit, ille tamen ſtatus, quo rationes in vtramque contrariorum partem compares videantur et aequales, animo prius tuo, dein tuorum animis euellendus omnino eſt, niſi irritum perſuadendi conatum in te rideri velis. Certitudo quaedam cum quadam incertitudine poteſt conſiſtere, ſed nulla certitudo, hinc nulla perſuaſio, nulla euidentia, confirmatio nulla cum incertitudine totali dubitantium. Hinc ipſi dubitationis catholicae patroni quam primum belle volunt aliquem in hanc aleam inducere, conſiliorum ſuorum eo vsque ſolent obliuiſci, vt de nulla re minus dubitare videantur, ac de eo, dubitandum eſſe de omnibus.

§. 858.

Deinde ne rationibus et argumentis vnquam aggrediaris confirmare, de quibus ſe iam ſatis immediate certos eſſe tui ſibi perſuaſerunt. §. 847. Perſuaſorie *negat* Epicurus *opus eſſe ratione, neque diſputatione, quamobrem voluptas appetenda, fugiendus dolor ſit. Sentiri hoc putat, vt calere ignem, niuem eſſe albam, dulce mel, quorum nil aporteret exquiſitis rationibus confirmare, tantum ſatis eſſe admonere. Intereſſe enim inter argumentum concluſionemque rationis et inter mediocrem animaduer-*

aduerſionem atque admonitionem. Altera occulta quaedam et quaſi inuoluta aperiri, altera promta et aperta indicari. §. 851. Cic. de fin. I. 30. Quemadmodum demonſtrator identicas indemonſtrabiles ex nullis amplius argumentis efficit, ita perſuaſionem confirmaturus in iudiciis, quae ſuorum ſenſibus aut analogo rationis per ſe ſatis euidentia videantur, vlterioris probationis incurius, acquieſcit.

§. 859.

Porro, ſi rationibus euincenda ſunt, quae confirmare lubet, argumentis a priori petitis, vel praeferas eleganter perſuaſurus, vel ſaltim adiungas, quoties illud fieri poteſt, rationes a poſteriori. Poteſt a priori confirmari diuinatio, tamen, modo ad perſuadendum magis idoneo, *ex ipſis exemplis verarum vaticinationum et ſomniorum Cratippus ſolet rationem concludere hoc modo: Si ſine oculis non poteſt exſtare officium et munus oculorum, poſſunt autem aliquando oculi non fungi ſuo munere: qui vel ſemel ita eſt vſus oculis, vt vera cerneret, is habet ſenſum oculorum vera cernentium. Item igitur, ſi ſine diuinatione non poteſt et officium et munus diuinationis exſtare, poteſt autem quis, quum diuinationem habeat, aliquando errare, nec vera cernere, ſatis eſt ad confirmandam diuinationem ſemel ita eſſe aliquid diuinatum, vt nihil fortuito cecidiſſe videatur.*

deatur. Sunt autem eius generis innumerabilia. Esse igitur diuinationem confitendum est. Cic. de diu. I.71.

§. 860.

Si tuis in meditationibus admittant aliquam argumentorum etiam confirmationem 1) generaliora quaedam et abstractiora 2) magis determinata, indiuidua, et singularia, vtraque tamen confirmare tempus et locus non permittant: illa lemmatum instar ex disciplinis intellectualibus quasi nota sumas potius, et in horum probationem operam impendas, quam vice versa. §. 677, 752. Plinius l. XXXVII. in prooemio sumens *gemmas in arctum coactam rerum naturae maiestatem, Ismeniae aetate scalpi smaragdos solitos confirmat edicto Alexandri M. quo vetuit in gemma se ab alio scalpi, quam a Pyrgotele, non dubie,* §. 857. *clarissimo artis eius.* c. I.

§. 861.

ARGVMENTATIO completam certitudinem exhibens est NECESSARIA, incompletam, in aliquantulum incertis, quae praestet, sola est probabilis. Dubias enim et multo magis improbabiles nullam certitudinem, nullam persuasionem secum ferre, confirmationem nullam iam vidimus. §. 857, 485. Hinc recte Cicero de inu. I.44. *Omnis argumentatio aut probabilis aut necessaria debebit esse.*

Nisi

Nisi fallitur in describenda necessaria: *necessario*, pergens, *demonstrantur ea*, *quae aliter*, *ac dicuntur*, *nec fieri*, *nec probari possunt*, labitur saltim in adiuncto exemplo: *Si peperit*, *cum viro concubuit*.

§. 862.

Si confirmaturus eleganter tibi permiseris aliquando necessariam aliquam etiam argumentationem tangere, quae scilicet ad logices formulam exacta formae simul completam certitudinem intellectui approbaret: ab huius tamen, formae scilicet legitimae, venustis occultationibus nunc minus abstinere tuum est, quoniam tibi sufficere potest argumenti scientifici satis euidentem analogo rationis propinare verisimilitudinem §. 483, 829. Ad hanc autem completa formae conuictio non requiritur. Hinc Cicero *genus* etiam *argumentandi*, *quod in necessaria* §. 861. *demonstratione* §. 847. *versatur*, suadet *tractare maxime aut per complexionem*, dilemma enthymematico-crypticum, *aut per enumerationem*, syllogismum disiunctiuum tollendo ponentem, sed denuo satis crypticum, *aut per simplicem conclusionem*, cuius exemplum ponit syllogismum hypotheticum modi ponentis enthymematicum. 45.

§. 863.

Addit quidem Cicero: *Atque hoc diligen-*

ter

ter videre oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli possit, vt ne confirmatio modum in se argumentationis habeat et quandam similitudinem necessariae conclusionis, verum ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat. Verum aequus interpres animaduertet 1) diligentiam in foro aesthetico debitam postulari, non accurationem logicorum mathematicam, 2) sicuti confirmatio tantum intenditur persuasoria, ita nec cauendum esse, vt ne logicis quidem subtilitatibus et purioris rationis intensissima vi tua possit argumentatio refelli, sed vt ne possit reprehendi, §. 855. vt ne vel ad sensum et coram analogi rationis tribunali falsitatem in eadem aliquam aestheticam S. XXVIII. detegere sit in promtu, 3) paralogismos vtique et mera sophismata reiici, quibus nihil insit virium ad persuadendum, sed inanis tantum certitudinis species, §. 837. sufficere tamen Ciceroni, vt argumentatio ex necessaria ratione consistat, nec eum requirere, vt omnis haec et sufficiens inter argumentandum ratio, qua pote, manifestissime rationis ipsius perspicientiae subiiciatur. §. 802, 843.

§. 864.

Incidas eleganter meditaturus in iudicium, quale logici demonstratiuum dicimus, quodque hinc vtique per scientias indiget demonstratione, sit tamen idem, quantum

noueris, apud tuos in confeſſo, de quo conſtet inter omnes, ſit etiam in promtu neceſſaria quaedam argumentatio, cuius tamen praeuideas vel omnem ambitum, vel aliquam partem, quam reſecare nequeas, tuis minus perſpicuam ac euidentem futuram, ac ipſa iam eſt concluſio. Hoc in caſu totam illam tuam argumentationem neceſſariam lubens omitte iudiciique tui demonſtratiui, ſed ſimul per ſe ſatis nunc euidentis animaduerſione mediocri contentus acquieſce, §. 858, 847. Eadem regula modum et fines praeſcribet, quousque in analyſi argumentorum per proſyllogiſmos adſcendere e re ſit eleganter confirmaturi.

§. 865.

Incidas in meditationibus aeſtheticis in propoſitionem demonſtratiuam, quam indigere confirmationibus argumentorum probe praeuideas, habeas autem argumentationem neceſſariam in promtu, ſed ſimul aliam aliquam probabilem tantum. Interim in illa praeſagiat animus haeſuros tuos, obiectum tuum perſonale primarium, in ipſo probationis cardine, velut oblato quodam nodo Gordio, defuturam illi neceſſario tuo argumento relatiuam vel omni, vel magna ex parte, ſenſitiuam euidentiam, intellectualem autem horizontem tuorum, nunc certe,

tran-

transſcendere. Hanc autem, probabilem ſcilicet, alteram probationem planam ſperare poſſis et perſpicuam fore tuis et oppido euidentem vel ipſi rationis analogo. Hic praefer argumentationem probabilem neceſſariae. Incertum certo? certo veris credibilia? §. 837. Vtique. Verum non ideo, quia praeferendum incertum eſt, ſed quia tuis eſt ſenſitiue certius intellectualiter certis, quae nunc certe, non intelligunt. Non ideo, quia credibile non eſt certo verum, ſed quia tuis tamen hoc probabile eſt credibilius, ac illa certo vera, quorum ipſos, nunc certe, tranſcendit euidentia. §. 839.

§. 866.

Probabile, quando Cicero dicit, 46. *quod fieri ſolet*, §. 484. exhibet occaſionem obſeruandi quartam ηθους ſpeciem, §. 195, 495, 698. qua moratum cogitandi genus §. 226. 1) velut aliud agendo, tacite ſuos de probatis auctoris moribus intimius ſemper intimiusque perſuadeat, §. 227. ita, vt illi ſuo ſibi marte tandem perſonam cogitantis et characterem moralem, vt amabilem abſolute, ſic nunc ſimpliciter honeſtum, nunc nobilem, nunc omnino grandem, prouti materiis, obiectis et dynamometriae ſuae naturali proportionate ſe pingere voluerit, §. 462. euidenter deprehendiſſe videantur. §. 213

§. 867.

Ηϑος persuasorium §. 866. 2) memor illorum, *qui nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conueniat, putabunt*, Corn. pr. quos noueris non esse paucissimos, si qua cum iisdem congruant, quae velit persuadere, ea more maiorum et institutis sacrosanctis ritibus, ipsis gentium consuetudinibus, diuturnoque moratiorum vsu commendando triumphabit; si qua persuadenda dissentire videantur ab iisdem, ea sibi non sumit tractanda, nisi sub hypothesi §. 846. 3) de morum optimorum verissima pulcritudine, de vera vitiorum turpitudine per naturales maxime colores vtrorumque laborat intime suos persuadere, §. 574. 4) in moribus strictissime veris scapham scapham non dicit solum, sed etiam confirmat, quando pulcre potest et vitiis pulcella, et foeda virtutibus larua detrahi. §. 580.

§. 868.

Ηϑος persuasorium 5) mores et facta, de quibus dubitari potest, nunc in bonam, nunc in malam partem interpretatur, non sine probabilitate, saltim aesthetica, secundum regulas veritatis moralis, de qua §. 435, 467. secundum easdem 6) historice fingendis moribus et factis eam probabilitatem circumdabit, vt, licet, quomodo acta res sit, ignoremus,

remus, ius tamen iurandum credulitatis vix perhorrefceremus perfuafi non aliter agi potuiffe, §. 509. 7) in ipfis fictionibus moralium poeticis obferuabit certitudinem ex analogia cum mundo poetico §. 511. 513. et earundem interna verifimilitudine refultantem, §. 589. vt fpectator tuus perfuadeatur, non quidem, quae facta funt, tamen veriffime narrari, qualia fieri debent, heterocofmica, §. 586. 8) vbique lucem et vmbram in nuda veritate moralium pingenda fic temperabit, §. 666. vt haec aliquando plena in luce refulgeat, §. 625. nunc fubindicetur tantum pluribus ad cogitandum fpectatori relictis, §. 654-662. nunc ftrictiffime vera pateant analogo rationis et fidei hiftoricae, §. 441. nunc in ipfis fabulis dominari veritatem, §. 556. viuide fentiens in admirationem fimul fplendidorum mendaciorum, §. 477. rapiatur fpectator bene locata thaumaturgia, §. 808.

§. 869.

Probabile porro Ciceroni eft, *quod eft in opinione pofitum*, de inu. I. 46. Nos illud conceffimus verifimile, §. 484. neque tamen eidem generatim probabilitatem tribuere poffumus, ne aeftheticam quidem femper. §. 485. Exempla Ciceronis funt: *Impiis apud inferos poenas effe praeparatas, eos, qui*

 philo-

philosophiae dent operam, non arbitrari deos esse. Primum est adhuc plurimorum opinio, neque tamen probabilitatem vel aestheticam apud aliquos auditorum nanciscerer argumentis ex inferno petitis, apud eos scilicet, qui futura post hanc vitam omnia negare magnum aliquid perperam opinantur. Nec apud alios nunc in confirmando plus proficerem, Sisyphi lapidem et aquas Tantali fugientes minatus, quoniam has inferorum poenas non amplius in suis habent opinionibus. Secundum est opinio verissima, si de diis et exactius philosophantibus loquaris, sin atheismum imputes philosophis, multos nunc inuenies auditores, quibus eiusmodi criminationes non amplius imponant.

§. 870.

Assensus noster nobis incerto datus est OPINIO NOSTRA. Opiniones suas frustra persuadendis obtruderet aliquis confirmandi gratia, nisi sint eaedem simul opiniones eorum, quibus potissimum cogitat. Hinc ante omnia videndum in opinionum vsu, an sint opiniones obiecti tui personalis primarii, an forsan aliorum tantum. Opinamur vel non ponderatis ad assensum rationibus OPINIONE PRAEIVDICATA, vel opinione nunc logice, nunc saltim aesthetice pro-

probabili, vel nobis etiam dubiae, vel omnino improbabili opinioni assentimur, quoniam id vel licere, vel omnino moraliter necessarium putamus, vel ponimus verosimilem nobis, donec an probabilis sit, nec ne magis liqueat, vt ita dicam, interimistice et prouisionaliter. Ad quam classem quaedam opinio intra mentem tuorum pertineat quum vix et raro certus esse poteris, post id, an in opinione eorum positum sit, quod ad confirmandum afferri possit, potior cura tuum erit, an opinio tuorum ex animi tui sententia sit error, an minus, vt agere possis ex §. 574.

§. 871.

Si tandem Ciceroni *probabilia* dicuntur omnia, *quae habent* ad mores et opiniones *aliquam similitudinem, contraria, paria, quaeque cadant sub eandem rationem*, de inu. I. 46. vereor, ne verisimile et probabile, perspicuum et euidens, si sequaris, saepenumero confuderis. §. 852. In ipsis exquisitis ab eloquentissimo viro exemplis fallor, an parua satis vis ad persuadendum analogo rationis deprehendetur, splendidum et oculos primo obtutu praestringens ab euidenti si doctum est distinguere? Interim qui semper non dabunt, aliquando saltim probabilem confirmationem suggerent loculi, §. 132.

§. 872.

Pari sunt in pretio, qui sequuntur, 48. probabilium loci, *signum*, *credibile*, *iudicatum*, *comparabile*. *Signum* esse dicit, *quod quiddam significat* e. c. Hactenus quis neget? Quando vero de signis generatim addit, *indigere ea testimonii*, *et grauioris confirmationis*, de signis illud omnibus eo minus concesserim, quo minus, 1) omnia signa tantum probabilia sunt, quoniam ex aliquibus persuasio completa, e. g. ex putrefactione totius corporis certitudo mortis, 2) probabilia etiam, si vere sint, quae dicuntur, semper grauioris confirmationis indigent, §. 861, 865. Miseros medicorum filios, qui in sua prognosi probabili collatis signis morborum omnibus, tamen indigent vbique testimonii aut grauioris confirmationis!

§. 873.

Credibile non tam *sine vllo teste auditoris opinione firmatur*, §. 869, 870. quam ob internam suam probabilitatem etiam tunc persuadet, quando testium etiam auctoritatem minus perspectam habeamus. *Iudicatum* est Ciceroni *res assensione*, *aut auctoritate*, *aut iudicio*, *alicuius aut aliquorum comprobata*, idque *vel religiosum*, *vel commune*, *vel approbatum*. *Comparabile* diuidit idem in *imaginem*, *collationem et exemplum*. §. 871.

§. 874.

Haec §. 861-873. atque his ſimilia poſtquam enarrauit Cicero, 49. ita concludit: *At fons quidem confirmationis, vt facultas tulit, apertus eſt, nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonſtratus eſt.* §. 639. Neque tamen ipſe ſibi ſatisfeciſſe videtur, quando ſtatim addit: *In praeſentia tantum modo numeros, et modos et partes argumentandi confuſe et permiſte diſperſimus.* Dicamus enim, quod res eſt. Fontem confirmationis cuiuslibet non generalia quaedam aperient topica, ſed natura thematis penitius cognita, confirmandorumque veritas, quam fieri poteſt, clariſſime perſpecta. Ipſa ſcientifica pulcre meditaturi conuictio, rigoroſeque demonſtrandi habitus multum ipſi proderit, ſi vim rationis temperare, vim argumenta ſplendide colluſtrandi nouerit excitare. Neque demonſtrabit hos tam varios fontes rhetor vllus, vllus aeſtheticus, ſed pulcra potius eruditio, §. 63. et experientia, quae in rebus facti ſignis exiſtentiam maxime probabilibus exponendi ſuppeditabit vſum. Hauſturis ex fontibus iam deſcriptis quaedam forte topica nonnumquam anſam aliquam dabunt, alias confirmationum aeſthetice ſolidarum erunt arena pro fundamento. §. 839.

§. 875.

Poſt *inuentionem argumenti abſolutionem argumentandi* praecipit Cicero, 50. eamque *vel inductione, vel ratiocinatione* fieri putat. Nunc ſemeſtres etiam logici norunt inductionem eſſe ratiocinationis ſpeciem. Idem euinci poteſt, ſi ſumamus ipſam Ciceronis de *ratiocinatione* deſcriptionem, 57. *Eſt oratio ex ipſa re probabile aliquod eliciens, quod expoſitum et per ſe cognitum ſua ſe vi et ratione confirmat.* Sed longaeuus error eſt inductionem a ratiocinatione, tanquam oppoſito aliquo ac plane diuerſo ſeiungendi, quoniam ratiocinatio et eius genus ad ordinarios ſyllogiſmos propius accedens paene ad haec vſque tempora confuſum eſt. Nos nunc de forma pulcrarum argumentationum multi non erimus, quoniam eſt aptior in aeſteticis locus de eadem exponendi.

§. 876.

Ad locum aeſthetices de pulcris ratiocinationibus rite formandis ablegemus excutienda, quae Cicero habet de inductionibus n. 51-56. et tractationem de ratiocinationibus venuſtis tam ſimplicibus, quam concatenatis, qua patebit illas eſſe poſſe ac ſolere tripertitas, neque tamen ſemper vel tot conſtare partibus neceſſario: has vel trium tantum partium eſſe poſſe, ſolere tamen quatuor,

tuor, vel quinque partibus abſolui, quanquam plures etiam articulos non omnino reformident. Vnde diiudicari poterit controuerſia, de qua Cicero l. c. 57-76. Nunc ſolum notemus eiusdem iudicium, quo *abhorrere* cenſet *ab vſu oratorio* (hinc multo magis a poëtico, generatim aeſthetico) *multa et obſcura* (κατ᾽ αἰσθησιν, §. 631.) *de quibus certum eſt artificium conſtitutum*, (logicum) *quibus* ſcilicet *rationibus tractentur argumentationes in philoſophia*.

§. 877.

Praebet enim occaſionem conceſſae §. 862. 863. libertati nunc adiungendi conſilium expreſſe diſſuaſorium, in venuſtis confirmationibus ne adhibeas ratiocinationes, quarum forma ſecundum logices artificium legitima logicorum gnaris ſine vlla crypſi, ſine vllo ſaltu, ſine vllis additamentis variationibusue retenta ſtatim appareat, quosque formales logici dicunt. Logices imperitis formales eiusmodi ſyllogiſmos qualemcunque, maiorem tamen, certitudinem, ac alios, dare, nunquam expertus ſum, nec a priori conuictus, ſi cum vere perſuaſoriis, vti fas eſt, comparentur. Periti logices aut operae pretium iudicabunt aliquam tuarum ratiocinationum etiam in formali rationis certitudine maiori contemplari,

ri, et tunc ipſi formam tuis logicam induere poterunt: aut certitudinem eiusmodi, nunc certe, non deſiderant, hinc nec his prodeeris, vel placebis ſingulariter. Interim horizontem nunc tuum tranſcendens, §. 121. manca, §. 159. ηθος aeſtheticum negligens, §. 193, 194. male tenuia, §. 232. ſicca, exilia, arida, exſangvia, ieiuna, §. 246. ſtudium veri male locatum, nunc tuo, veriſimilitudinis aeſtheticae ſtudio praeferens, §. 555, 561. probans non perſuadens, §. 541. aeſthetice obſcura, §. 633, 636, cogitare, neque tamen aeſthetice ſolidus iudicaberis. §. 840, 842.

§. 378.

Confirmaturus potius materiam ſuarum probationum curans, ſecundum S. XII. poterit hylen quandam et quaſi ſiluam rationum aliquando detegere 1) coordinatarum plurium, quaeque ſingulae connectantur quidem ſatis belle cum confirmando, videantur tamen a ſe inuicem ſatis independentes, 2) ſubordinatarum inter ſe, ſic, vt totae quidem et integrae ſeries ad confirmandum vsque diductae non ita multae ſint, ad harum autem ſingulas multae tanquam vlteriores probationes concurrant, et in bene longam plurium membrorum probantium concatenationem poſſint concreſcere. Si breui-

breuitas quasdam relinquere iusserit, posteriores venustius, ac primo loco descriptae, recidentur. Numerus enim et quasi synathroismus quidam nouorum semper nouorumque argumentorum plus gratiae, plus viuiditatis habebit, ac vnius argumenti transscendens forte patientiam analogi rationis protensio. Haec intensiuam veri conscientiam, certitudinem rationis amabilem sagacitati, maiorem exhiberet, fateor, sed illa copiosius probare visa rationis analogo nunc quaerendam maiorem extensiuam veri conscientiam pollicetur, sensitiuam euidentiam, §. 847.

§. 879.

Neque tamen argumenta confirmaturus numeret solum, §. 878, sed etiam ponderet, §. 177. quantum ex quouis veritas et verisimilitudo confirmandi patere possit, iudicans, M. §. 697. vt digna relatu possit adhibere secundum iustam lucis et vmbrae dispensationem singula collocando, §. 666. reiectis omnino FRIVOLIS, quorum vis dilucide probandi vel nulla, vel infinite parua. §. 839, 191. Nec ea temere speres, saltim vt vmbras, grauiora comitari posse. §. 661. Quid enim? si vei vnius eiusmodi probationis ex vmbra protrahatur admirabilis imbecillitas, et euidenter ponatur ob oculos, quam

quam ineptum ſit ad perſuadendum? Tunc ſane vel optimis aliis meras contemtus et obliuionis tenebras poterit adſpergere. §. 665. *Satius eſt, omni ante actae vitae ſe abſtinere conuicio, quam leuibus, aut friuolis, aut manifeſto falſis reum inceſſere, quia fides caeteris detrahitur, et qui nihil obiicit, omiſiſſe credi poteſt maledicta, tanquam ſuperuacua, qui vana congerit, confitetur vanum in anteactis argumentum, in quibus vinci, quam tacere, maluerit.* Quintilianus Inſt. or. L. VII. c. 2. *de coniectura.*

§. 880.

Confirmaturus ſi ſolam veriſimilitudinem §. 483. illuſtrantibus §. 730. in argumentis eligendis acquieuerit; me quidem arbitro, ſatisfecit officio nunc ſuo, §. 839, 855. eam tamen veriſimilitudinis ſpeciem vel gradum, quem promiſerat, vel res, vel obiectum ipſius perſonale praeſertim attendendum rite poſtulauerit, illuſtrare quum per naturam ipſam iubeatur, §. 104. argumenta tantum heterogeneam a quaeſita veriſimilitudinem, vel eodem gradu minorem illuſtratura, vel omittet omnino, vel in vmbras ſaltim coniiciet, luci his vnice reſeruatis, quae talem et tantam veriſimilitudinem exhibent, qualis et quanta poſcebatur. S. XXXV. Exempla legem gene-

generalem declarabunt, §. 730. determinatiores regulae.

§. 887.

Si de possibilitate naturali cuiusdam obiecti quaeritur, §. 432. aut de morali latius dicta, § 433. argumentis absolutam tantum confirmaturis, vel nullus, vel in vmbra tantum locus est. §. 431, 880. Si de veritate morali cuiusdam obiecti quaeritur, §. 435. argumentis possibilitatem eiusdem moralem latius dictam §. 433. tantum confirmaturis vel nullus, vel in vmbris vnice locus est. §. 880. Si quaeritur vnitas actionis, loci, temporis hypothetica, §. 439. argumentis vnitatem generalium absolutam confirmaturis nullus, nisi forsan in vmbris, locus est. §. 880. Si de veritate obiecti singulari, s. existentia quaeritur, argumentis veritatem generalium, sub quibus obiectum contineatur, vnice confirmaturis, aut nullus, aut vnicus in vmbris, locus est. §. 440, 880. Si quaeritur, an aliquid sit strictissime verum, argumentis quamcunque possibilitatem eiusdem tantum, vel veritatem heterocosmicam declaraturis, aut nullus, aut vmbra sola, locus est. §. 441. 880.

§. 882.

Confirmaturus fictiones strictissime veras, §. 506. si meras strictius historicas §. 509. vel

vel omnino poëticas, §. 511. ad perſuadendum afferret, etiamſi vel noſtro illae, vel poetarum mundo hae non viderentur contradicere, §. 513. nec vtopiam ſaperent, §. 514. analogicae §. 576. nec prorſus ignotae, §. 518. nec anomala figmenta, § 520. immo ſi fictis huiusmodi lucem potiſſimam affuderit, iure cenſebitur mendacium mendacio tegere, ne perpluat, §. 881.

§. 883.

Si de veriſimilitudine ſtrictiſſime dicta dati obiecti quaeritur, §. 530. confirmaturus omittat fabulas, §. 526. hiſtoricas etiam, multo magis poëticas, §. 527. ſaltim ne multum in iis haereat, §. 881. niſi forſan aliquando in ſtrictius probabilibus, §. 532. aut narrationibus eiusmodi, quae ſtrictiſſime vera continere, fabuloſis immixta, §. 526, 527. poteſt aeſthetice ſaltim probabile reddere, §. 533. In vltimo caſu confirmaturus prouocans ad ea, quae in narrationibus, quae fabulae dicuntur, ſtrictiſſime vera eſſe ſatis oſtendit, §. 485, 847. non habet, generatim cauſſam, cur haec argumenta vel taceat, vel obumbret, §. 880.

§. 884.

Aeſtheticodogmatica confirmaturus quum ſatisfaciat officio, nunc ſuo, licet non

adſcen-

adſcendat vltra veriſimilitudinem dogmaticam, §. 577. dilucide propinandam, §. 839. non eſt generatim, cur abſtineat a commemorandis, vel etiam in aliquo nitore ſiſtendis argumentis perſuaſoriis logice forſan dubiis aut improbabilibus, probabilibus tamen aeſthetice, vel ab ipſo commode ad hanc probabilitatem euehendis, §. 486. Genus cogitandi ſtrictius aeſthetico-hiſtoricum ſtudioſum veri ac ſolidi nec patietur ſua confirmaturum vel intra poſſibilitatum quarumcunque rationes, §. 881. vel intra nitide pingendam aliquam poëticam veriſimilitudinem ſubſiſtere, §. 880, nec ad rationales credibilitatis, auctoritatis teſtium, interpretationis locorum ambiguorum, diiudicationis contradictionum apparentium, geographiae, chronologiae, genealogiae, e. c. calculos et diſcuſſiones aſſurgere, §. 580, 583. Hinc hiſtoricorum, venuſtae ſimul ſoliditati, §. 839. ac logicae criticorum accurationi litare volentium, tot prodromi, notae, marginalia, appendices, e. c. §. 584, 847.

§. 885.

Confirmaturus habeat argumenta perſuaſionis ſatis multa: non ſufficit inde friuola, nec quaeſitam veriſimilitudinem promittentia reiicere: cogitandorum explicite cuiuis ſatis etiam pro dignitate lucis, viui-

ditatis, et claritatis affundendum est extensiuae, §. 618. quo collustrentur ipsae res, quae ad persuadendum adhibentur, ea potissimum parte sui, latere, vel facie, quae NERVVM PROBANDI contineat, necessitatem positis his admittendi simul veritatem confirmandi, §. 855. 839. Hinc coordinatarum etiam rationum, § 878 nec ineptarum ob §. 879-884. si plures in hyle persuasurorum argumentorum adhuc supersint, quam vt quaeuis per breuitatem rotundam satis luci suae possit exponi: praestat aliquas earundem aesthetice firmiores in omni suo naturali nitore proferre, §. 625, 622. ne neglectis quidem veris coloribus, § 688. vel floridissimis, §. 693. ad non mediocrem vsque, si fieri potest, thaumaturgiam, §. 808. quam omnibus nimium cumulatis, singulis punctim et concisim, aut tamen iusto breuius, expositis obruere forsan et obtundere lectores e. c. primarios, non vere persuadere. §. 839. 634.

SECTIO LII.

REPREHENSIO.

§. 886.

Quanquam reprehensio nonnunquam tantum animo confirmandi thesin per indirectam probationem tentari potest; §. 854. nos

nos tamen eam heic confiderabimus in grauioribus illis cafibus, vbi contrarium a nobis confirmando, huic oppofitum, et thefeos noftrae antithefis obiecto noftro primario poffet aliquid veritatis in fe continens videri, vel multum. §. 855. Diffentientes enim aefthetice refutare, vel reprehendere pulcre cogitaturis magis eft neceffarium, ac demonftratori logico refutare conclufionibus fuis rigide demonftratis contradicentes, quia 1) eft in opinione multorum, licet praeiudicata, pofitum, contra quae multa poffint obiici (quomodocunque, quantulacunque,) certa non videri. §. 870.

§. 887.

2) Vere etiam probabilitas omnis, tam logica, quam aefthetica, non tantum auctis rationibus pro tua fententia pugnantibus, fed etiam imminutis et dilutis rationibus, contra eandem quae feciffent, crefcit et intenditur. §. 485. Hinc et probabilitatibus logicis magis neceffarium eft rationes dubitandi infirmare, vel intellectui falfitatem contra dicendorum exponere, quam demonftrationibus, quas completas et mathematicas dixeris. 3) Non adeo leui momento tuas in partes probabilitatis aefthetica pertrahetur trutina, ac logicae, nec adeo acutum cernimus fenfitiue, ac intellectualiter,

quae pars rationum ſuperponderet. Hinc perſuaſioni aeſtheticae conſulitur, non addendo ſolum pondera parti, quae ſubſidere, ſed et demendo parti, quae debeat notabilius alleuari, quo haec videbitur falſis, hoc illa videbitur ſenſitiue veris ſimilior. §. 483, 489.

§. 888.

Vere Columella dixerit: *Reprehendiſſe peccantem non ſatis eſt, ſi non et recti viam doceas*, et recte iungat vtrumque belle cogitaturus, § 854, 855. tamen §. 886, 887. rationes nobis dediſſe videmur, ex quibus ex parte poſſit intelligi, qui fiat, vt in ſenſitiuae cognitionis ſphaera paedagogos facilius inuenias, quam patres; qui tentent, an

ab exitio poſſint reprendere euntes,

quam qui nondum in deuia lapſos directe ducant in amorem optimi, ſatyricos tandem facilius, quam paraeneticos. Optimum eſt, quod Cicero virtuti tribuit, ſi ſenſibus noſtris Ariſtippi voluptas blandiatur, Qu. ac. I. 139. ſi ſimilibus in caſibus, vt practicis, ita etiam theoreticis, viri boni ſuada, *reuocat, vel potius reprehendit manu. Pecudum illos eſſe matus dicit. Hominem iungit deo.* §. 829, 838.

§. 889.

Reprehenſioni fontes aperire hoc minus neceſſarium eſt, ſi vere Saluſtius ad Caeſarem:

ſarem: *Ad reprehendenda aliena facta, aut dicta, ardet omnibus animus. Vix ſatis apertum os, aut lingua promta videtur, quae meditata pectore euoluat.* Vix tamen eandem definiuerat Cicero, de inu. I. 61. *per quam argumentando aduerſariorum confirmatio*, §. 886. 855. *diluitur aut infirmatur, aut alleuatur*, §. 887. 854 quum eundem huic fontem tribuit, quo vtitur confirmatio, 62. de quo §. 861-873. et praeſertim §. 874. vbi dicta veriſſime ſimul omni reprehenſionum fonti conueniunt. §. 65.

§. 890.

Sint interim haec reprehenſuris conſilia: 1) non argumentorum ſolum, et praemiſſarum, ſed concluſionis etiam primario impugnandae pingatur falſitas. §. 839. Quod in ipſis logicis refutationibus eſt vtile: heic magis iudico neceſſarium, §. 887. quoniam multi ſic comparati ſumus, vt tacite nobiſcum ſtatuamus, etiamſi vel perperam, vel ex minus idoneis praemiſſis, hucuſque probata ſit quaedam concluſio; nondum tamen eandem iam ideo falſam eſſe, poſſe ſatis veram, et nobis adhuc ignota ratione vel iam probatam eſſe rite, vel a nobis doctiore probandam propediem. Huic non ita falſae multorum opinioni ſuccus in dato reprehenſionis exemplo ſubducitur, ſi non ſub-

ſiſtamus in ſubruendis antitheſeos argumentis, ſed et ipſam hanc concluſionem ita declaremus eſſe falſam aeſthetice S. XXVIII. vt obiectum noſtrum primarium, non datis ſolum, ſed et forſan inueniendis quibuscunque fulcris, tamen eandem ſuſtineri poſſe deſperet. § 455.

§. 891.

Huic conſilio § 890. ſatisfacit partim iam ipſa confirmatio, partim artificium noſtrae directae probationi, et antitheſeos praemiſſarum, vel formae probandi, vel vtrarumque ſubuerſioni inugendi ex ipſa ſumta eadem concluſione et antitheſi deducta, dilucide, vel etiam ſplendide deducta, magnam tamen analogo rationis falſitatem et incongruentiam eiusdem tandem et velut ex improuiſo ob oculos ponentia, §. 853, 884. Cicero de Inu. I. 63 *omnis argumentatio reprehenditur, ſi aut ex iis, quae ſumta ſunt, non conceditur vnum, pluraue,* (negando praemiſſas) *aut his conceſſis complexio confici ex his negatur: aut ſi genus ipſum argumentationis vitioſum eſſe oſtenditur* (negando formam vel certam, vel legitimam omnino) *aut ſi contra firmam argumentationem alia aeque firma, aut firmior, ponitur.*

§. 892.

§. 892.

In eadem reprehensione possunt plura membra disiunctionis a Cicerone positae post se inuicem tentari, §. 891. modo 2) armis aduersarii semper parentur contraria arma, quae plus verae lucis fundere videantur, vt nostrorum lumen maius obscuret illa. S. XXXX. Non aeque firma placent tantum, quantum firmiora, §. 891. Huc praeiudicia in reprehendendis latentia detegere, §. 870. eadem cum praemissis aliis falsis per instantias euidentiores infringere. S. L. comparationibus paralogismos reprehendendorum eludere, quorum euidentes praemissae tamen aperte falsam dent conclusionem, S. XXVIII. saltus illegitimos et supplendi impossibilitatem ob oculos ponere, e. c. quae logici docent, eleganter et ad analogi rationis modulos exsequi. §. 844.

§. 893.

In primis 3) vtiliter, ad hominem quae dicuntur argumenta, quem reprehendis, armis propriis aggrediendo adhibebuntur, quoniam hominem ipsi sibi contradicentem tanquam auctorem veritatis sequi, vix est, qui sibi persuadere possit, hinc labefactatur hoc modo certe praeiudicium auctoritatis, quod pro patronis antitheseos pugnare potuisset, tanquam aesthetice saltim solidis,

§. 839. *Artificis est inuenire in actione aduersarii, quae in semet ipsa pugnent, aut pugnare videantur*. Quint. inst. V. 13. quod totum caput heic legi meretur. 4) In reprehendendo hoc magis sollicitus esto de genere cogitandi satis digno, §. 223. quo minus aestheticus cum logico suadere potest abstinentiam ab omnibus affectiones animi mouentibus, §. 22. quo difficilius est aliquando vehementer, neque tamen iracunde agere, §. 722-725.

§. 894.

Vltimum dignitatis consilium §. 182. heic etiam, tanquam ex ipsis eleganter cogitandi fontibus §. 866. fluens considerari velim, non tantum, quatenus idem virtus et pietas postulant, §. 183. Quod in obscoenis sibi permiserunt antiquorum non pauci, §. 184. in reprehendendo paene plures similem eidem licentiam sumserunt, vt adeo rationibus impugnare veterem, sed malum, morem eo magis necessarium videatur, quo pluribus eum, alioquin satis insignibus, exemplis hodierni imitatores eiusdem facile tueantur. Quomodo reprehendat apud Homerum heros heroa, quis nescit? Sed quanto iam in hoc Aeneis Virgilii moratior est? In *hoc ipso* (Demosthene) *diligenter examinante verborum omnium pondera reprehendit*

Aeschi-

Aeſchines quaedam et exagitat, illudensque dura, odioſa, intolerabilia eſſe dicit. Quin etiam quaerit ab ipſo, quum quidem eum belluam appellet, vtrum illa verba, an portenta ſint: vt Aeſchini ne Demoſthenes quidem videatur Attice dicere. Cic. Or. 26. Ad reprehenſionem hanc *belluae* cuius eſt erubeſcere? Demoſthenis, an potius Aeſchinis?

§. 895.

Quanto rectius hic, qui nil molitur inique Caſſius contra Plancium et huius patronum, Ciceronem, cui tamen iam *grauiora atque magna* videntur, quod Ciceronis *diſceſſum, quem ſaepe deflerat* Caſſius, *nunc quaſi reprehendere et ſubaccuſare voluit, dicens non* Ciceroni *auxilium, ſed* Ciceronem *auxilio defuiſſe?* Cic. pro Plancio 86. Quis neſcit eundem diſceſſum non *reprehendi*, ſed etiam *exagitari* potuiſſe *duris, odioſis*, quaeque Ciceroni viſa eſſent *intolerabilia*, verbis *illudendo* tam facta, quam non facta, niſi belle, §. 893. praetuliſſet accuſator Plancii ſubmiſſum dicendi genus in illius patronum? §. 725. Vtinam ipſe Cicero in Piſonem, virum cenſorium, in ipſum Antonium, eleganti modeſtia vehementiam vbique temperaſſet. §722-724.

§. 896.

Non iambos Archilochi, non hendecaſyllabos Catulli, non Naſonis Ibin, aut alia, caeteroquin venuſta, ſed ob neglectum bene

ne moratum cogitandi genus turpiter reprehendentium

Tincta Lycambeo sanguine tela moror. §. 893. 186.

Si non itur, qua eundum est, nec eundum est grauitati aestheticae, qua itur §. 189. Nondum audeo praecipere generatim pulcre reprehensuris, vt abstineant omnino ab omnibus, quae personalia vel magis barbare personalitates dicunt, ab omnibus, quae singularem illum hominem, cui contradixeris, proxime tangunt, eiusque patriam, genus, ingenium, mores, vitam, adolescentiam, et si qua sunt alia, §. 752-757. fidenter tamen procul esse iubeo, si quis gratiis litare voluerit, vel in aduersariis ipsis rimari obiecta humillima et abiecta, §. 195. quoniam omnino non possunt exponi §. 224, 225. strictius morato cogitandi genere §. 227, vel absolute tantum tali. §. 228.

§. 897.

Ne peccem ipse praestans, quod dissuadeo, non abiecta vel obtutu primo iuuat exempla proferre. Sufficiat vna Senecae apocolocyntosis in Claudium, qua Stoicus ille minus decantatam, forte tamen minus eluendam laudi virtutis suae maculam inussit, quam auaritia. Quis crederet? Philosophus, quantus Seneca videtur, exsul in Sardinia descenderat ad lacrumas et supplicatio-

cationes in Polybium Claudii libertum profusas, in quibus sapientiae Claudii plus, quam satis est, adulatur, reuocatus ab eodem Claudio, non tam malo, quam simplici, multisque beneficiis cumulatus, quantum ab eodem aliquid proficisci poterat, quod eius nomine fiebat, eundem imperatorem suum post eius mortem ore Neronis laudat propter sapientiam adeo, vt risum mouerit audientibus, et idem sub tempus, vrgente nulla ratione politica, tamen tam acerbe ridet, veneno exstinctum, vt nec ab hoc sibi temperare ioco posset, quem nunquam sine indignatione legi: *Vltima vox eius haec inter homines audita est, quum maiorem sonitum emisisset illa parte, qua facilius loquebatur: Vae mi! puto, concacaui me.* Paene pudet haec scripsisse post Senecam.

§. 898.

Iniuriae verbales, quae vel simplicem honorem laedunt, turpissimae quidem in reprehensionibus sunt, quae maiestatem sublimium tueri debeant §. 317. turpiores in medio cogitandi genere, quod ciuilitatem et mores intensi iam honoris postulat, §. 278. neque tamen in ipso tenui cogitandi genere carent turpitudine, §. 262. Prius impetitus eiusmodi luto si fueris, nec a retorsionibus abstinere debeas aggressori, debes tibi, debes spectatoribus, et ipsi magnanimitati aesthe-

ticae

ticae. §. 189, 275. S. XXIIII - XXVI. Ad hunc lapidem Lydium argumentum ab inuidia, consequentiarum synathroismos, immeritas vel immodicas irrisiones examinemus, memores nationis et saeculi, §. 867. quorum huic ferenda quae videantur, illi tamen ἠθος omnino iam laedere iudicabuntur. §. 213, 212.

§. 899.

Et bonis moribus facilius obedies, et inanem operam insumere saepius supersedebis, si tibi dictum putes 5) neutiquam reprehendenda tibi esse omnia, quae contra tuas sententias, vel dicta sint, vel dici possint, sed ea tantum, quae suspicaris obiecto tuo personali primario verisimilia, nisi reprehendas, quaeque speraueris post reprensionem tuam ab eodem in aesthetice falsis habenda, §. 887. Par ratio responsionum ad reprehensiones aliorum in nos nostraque directarum, §. 886, 898. Quemadmodum *illud stultissime praecipitur, quod defendi non possit, silentio dissimulandum, siquidem est id, de quo iudex pronunciaturus est:* ita *alii, diligentia lapsi, verbis etiam, vel sententiolis omnibus respondendum putant,* quae contra dici posse autumant, *quod est et infinitum et superuacuum* §. 171. *Sit, cui respondeas.* Caue *vitium nimium soliciti, et circa omnia momenta luctantis.* Quint. inst. V. XIII. Quot scriptis galeatus ille prologus aptari

aptari potuisset minus eleganter, quem belle praemisit Cicero l. I. de finibus bonorum et malorum?

SECTIO LIII.

ARGVMENTA PERSVASORIA.

§. 900.

ARGVMENTA, quorum (vel vnica, vel potior, vel nunc maxime consideranda) vis est sensitiuam datae perceptioni certitudinem conciliare, sunt PERSVASORIA §. 829. Ergo omnia argumenta, omnes figurae viuide probantes, S. XXXIII. verisimilitudinemque pulcram illustrantes, Sect. XXXIII. erunt persuasoriae, §. 26. Habes ansam intendendi tuorum argumentorum efficaciam eleganter, §. 142. si probantia potissimum illustres, et pingentia veritati consecres aestheticae, quoniam tunc illa non probabunt solum, haec non splendorem solum afferent, sed vtraque simul persuadebunt. §. 143. Sic pleonasmus apparens, cuius otiose positum ad dandam alterius hypothesin et determinationem, vel omnino medium terminum, negotiosum est, confirmabit, §. 145, 855. e. g. *Hisce meis oculis vidi.* Contra id:

Vidimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

§. 901.

§. 901.

Pari artificio, quae videantur synonomiae, vel exergasiae, coniungi possunt, tanquam aequipollentes, quarum tamen acutior lector vel auditor, vnam videat rationem, in elegantibus, sufficientem alterius, §. 900, 146. Confirmaturus, §. 878 -885. satisfacturus et reprehendens §. 899. memor, probantia quaedam vel refellentia in vmbras coniecturus, venuste nonnunquam recurret ad praeteritionem. §. 148. Nec poenitet huc INTERROGATIONEM retulisse, §. 332. seu crypticam declarationem nos optare, vt aliquis conscientiam suam de veritate alicuius rei dicat, vel cogitet. Prudens enim si caueris modo, ne interroges, vbi personale tuum obiectum primarium vel haesurum, vel omnino dissensurum, praeuideri poterat, sine vlteriori addita persuasione: vna apta interrogatione multum obtinebis, vt auditor e. c. ipse sibi tradat, et in mentem denuo reuocet, quicquid rationum de re, quam asseris, iam nouerat, et simul tibi concilietur non raro, quem suae iam scientiae non parum confidere non inuitus animaduertit, §. 840. aliquando sensibilius moueatur, quem inuites intra se descendere sensus animi scrutaturum intimos, et ea certa sibi iam dudum deprehendere, quae nunc bona vel mala dicuntur. §. 142.

§. 902.

Repetitio, cum multis suis speciebus heic etiam repetatur, vel ob id ipsum, quod non solum persuadet, §. 333. sed tamen magnam persuadendi vim habet, non inepta quaeuis, et tautologica, sed aetiologiarum praecipuarum in rotundam aliquam breuitatem contractarum. §. 545. Omnis enim aetiologia viuide cogitata quum sit argumentum persuasorium, §. 839. illarum eam, sine qua non posse videatur absolui persuasio posse, dicamus cum veteribus RATIONEM per eminentiam, et aetiologiarum rationumue potissimam, FIRMAMENTVM. cf. Cicero de Inu. I. 18, 19. Rationem et firmamentum vel iisdem, vel paullulum inflexis cogitandi modis breuiter, sed iterato cogitandam sistere, vel hoc habet efficaciae ad persuadendum, vt firmius haereat animis obiecti tui personalis, cui potissimum argumento confidis. §. 342-345. Non sine persuadendi lenocinio *pervigilium Veneris* toties repetit:

Nunc amet, qui nunquam amauit. Quique amauit, nunc amet.

§. 903.

In his argumentis commendetur probationum climax et ea gradatio, §. 334. qua totum certissima sua parte certius esse redditum, non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinatum videatur, §. 250, 879.

879. Cauturus vel vmbram anticlimacis in probando, ne facile persuadearis eorum consiliis, qui debilius argumentum fortioribus interserere suadent, quod praemittere non audeas. §. 879. An vnquam venustus a certioribus in incertiora decursus, nisi forsan in iocis pyrrhonicis? In hyperbolis confirmantium e. g. *sole meridiano clarius est*, et reprehendentium e. g. *contra solem loquutos* praeferantur crypticae, quae sic limites certitudinis improbabilitatisque assignandae transgrediantur, vt id ipsum factum esse vix ac ne vix quidem appareat. §. 339.

§. 904.

Non nego Quintiliani regulam §. 903. *Fiduciam orator* (pulcre persuasurus omnis) *prae se ferat*, *semperque ita dicat* (significanda cogitet) *tanquam de casu optime cogitet* (de persuadendis suis obiectis personalibus probe persuasus). Inst. V. 13. Moneo tantum, ne nimiae certitudinis ostentator de fide periclitetur. Hinc agnosco casus, in quibus belle ad confirmandum reprehendendumue possit adhiberi DVBITATIO, narratio vel simulatio status animi, cui rationes pro quadam sententia pugnantes et contra eandem connumeranti censentur aequales, praesertim si venuste transeas ab hac ad bellam euidentiae parrhesian. §. 349. S. L.